ηγηεεb/ωωψ+ηψ/ν/ψ.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/vitaesynopsisste00paul

VITAE
SYNOPSIS
STEPHANI BORGIAE

S.R.E. CARDINALIS AMPLISSIMI

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTI

CVRANTE

P. PAULINO A S. BARTHOLOMAEO

CARMELITA DISCALCEATO

COLLEGII URBANI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE STUDIORUM PRAEFECTO S. CONGREGATIONIS INDICIS CONSULTORE, MISSIONUM OO. SYNDICO, ACADEMIARUM VOLSCAE VELITERNAE, REGIAE NEAPOLITANAE, CAESAREO—REGIAE PATAVINAE SOCIO, ET INSTITUTO SCIENTIARUM GALLIAE CORRESPONDENTE.

ROMAE MDCCCV.
APUD ANTONIUM FULGONIUM.

Praesidum Facultate.

Aspice Roma Virum, qui Te dilexerat Olim.
Non illi Decios *pulchros, fortesve* Metellos
Praetulerim: non, qui Poenum domuere ferocem,
Scipiadas, *Gallisque genus fatale* Camillos.

Claud.

BEATISSIMO PATRI

ET DOMINO NOSTRO

PIO VII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

F. PAULINUS A S. BARTHOLOMAEO
CARMELITA DISCALCEATUS
PERPETUAM FELICITATEM.

NEmini melius digniusque Stephani Borgiae, S. R. E. Cardinalis, vitae synopsis nuncupatur, quam TIBI BEATISSIME PATER, cujus ille jura acerrime defendit et vindicavit. Tota hujus viri vita in S. R. E. legibus, privilegiis, fide ac dignitate asserenda versata est, et hoc divinum studium, hunc eximium ani-

mi ardorem is in suum sepulcrum intulit. TU eum TIBI in Veneto TUO maritimo itinere, TU in gallico socium et comitem adjunxisti, et in utroque, ut optime nosti, ille sua admirabili affabilitate, animi sui candore, eruditis urbanisque salibus TE erexit, recreavitque. Veritatis custos et Vindex intrepidus, atque ab omni assentationis vitio immunis, TE TUAque ille palam laudabat, TUI amore mirifice tenebatur, TUIque in omni loco et coetu, in cunctis civilibus et ecclesiasticis negotiis studiosissimus fuit. Hoc TU, hoc ego, hoc omnes novimus et fatemur. TUA quoque in illum cura, favor, gratia, et paterna dilectio neminem latet.

TU illum morientem invisisti, atque caelestem illi opem precatus es. Vivit ille adhuc in TUO, in meo, in aliorum plurimorum animo, et victurus est, dum nobis vita comes fuerit. Accipe igitur, BEATISSIME PATER, hoc Stephani Cardinalis vitae compendium, quod rudibus lineamentis descriptum TUO numini et nomini sacrum esse volui. Juvabit ad summi viri memoriam recolendam, totique, qua late patet, terrarum orbi comprobabit, TE Stephani Patrem, Principem, Fautorem, Amicum, et Patronum fuisse. Me deinde, qui SANCTITATIS TUAE pedes exosculor, benignus complectere, atque apostolicam mihi benedictionem imperti.

AD LECTOREM

Vitae compendium Tibi sisto, Benevole Lector, Stephani Borgiae, S.R.E. Cardinalis Amplissimi, spectatae integritatis viri, atque ab illustrium gestorum gloria, et praestantissima sui nominis fama jam dudum in Europa noti. Hoc ita adornavi, ut illi, qui laudis honestatisque amore ducuntur, Stephani Cardinalis praesentibus atque vivis virtutum exemplis moveri, atque ad praeclara ejus doctrinae probitatisque vestigia sequenda incitari debeant, ac possint. Cui enim bono desudabit biographorum labor, si nulla Lectoribus proponant singularia ad imitandum frugi exempla; aut quid emolumenti ex praeclaris illustrium virorum gestis capiet historia, si Legentium animi alieno exemplo sapere non discant, et virtute ac doctrina proficere non adlaborent? Quare in eam curam incubui, ut indoctis virtutis ac doctrinae semitam commostrarem, doctos verò, quid Stephani exemplo amplectendum, fugiendumve sit, liberè commonerem. Pauca, aut ferè nulla meae narrationi adjeci documenta, tum quòd vererer, ne opusculum justam molem excederet, ac imbecilli stomachi Lectoribus fastidium afferret, tum etiam, ut meae paupertatis memor Typographi rationes non augerem. Litterariam, *Stephani vitam, non autem illam, quam vulgò* diplomaticam *appellant, quaeve multis documentis fulciri debet, adornandi animus erat. Resecare oportuit ex ipsis meis schedis multa, quae corraseram, levioris notae monu-*

menta, et procul a me pellere alia, quae aliqui intemperanti potius propriae laudis dilatandae cupiditate conciti, quam de Stephani gloria solliciti, mihi in hanc vitae synopsim referenda attulerunt. Si ego luxuriantibus horum virorum animis votisque satisfacere studuissem, enascebatur ex mea lucubratione Cerberus *septiceps, monstrum horrendum, errans, deforme, et lumine rationis expers. Quare depositis inutilibus sarcinis, abjectisque falsis mercibus, a diverticulis et portentis studiosè declinavi, atque breviori, qua potui, viae me commisi. Si qui sunt, quibus haec mea lucubratiuncula non sit ad palatum, errores ac defectiones meas suppleant; et si quidem illi aliquid aequi bonique protulerint, id ego libenter et ex animo comprobabo. Quis nescit, Stephanum Cardinalem cum variis varia, et in variis urbibus ac locis pertractasse, atque multos amplis beneficiis auxisse? Si haec illi animo in suae fortunae auctorem grato, ut honestos viros addecet, diligenter enarraverint, citra dubium maximam laudem merebuntur. Ego, quem Stephanus dilexit, et favoribus cumulavit, hoc illius vitae compendio exposito, etiam post illius obitum insignis in me benevolentiae memor, honestissimo viro, eas quas possum, grates refero, et persolvo. Quod quidem ut alii quoque mei socii, et illius amici praestent, vehementer desidero et exopto. Dabam Romae in aedibus S. Pancratii M. Kalend. Octob. anno MDCCCV.*

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Palatii Apostolici.

Benedictus Fenaja Archiep. Philip. Vicesgerens.

CENSORIS APPROBATIO

JUbente Rmo P. Magistro S.P.A. perlegi opus cui titulus. *Vitae synopsis Stephani Borgiae S.R.E. Cardinalis Amplissimi, S. Congr. de Propaganda Fide Praefecti*, sapienter, ac naviter elaboratum a *Rmo P. Paulino* a *S. Bartholomaeo* e Carmelitarum Discalceatorum Familia, Auctore clarissimo quamplurimis jam editis doctis operibus. Istas autem partes eo libentius suscepi, quod in eius praestantissimi *Viri* meritis persequendis hoc Opus versetur, quem mirifice semper suspexi, et colui, eiusque perpetua fuit, quoad vixit, in me benevolentia, et necessitudo, quae mihi cum eo intercessit arctissima. Jucundissimum vero omnibus, imprimisque externis hominibns futurum arbitror tanti *Viri* pientissimae memoriae, res gestas, omnemque eius vitae rationem singillatim cognoscere, apud quos jamdudum doctrinae eius fama pervasit, tum vero qualis extiterit erga *Romanam* Ecclesiam amplissimus Cardinalis *Borgia*, ubique gentium innotescat. Nam eo defuncto haec Sancta Sedes amisit Orthodoxae Religionis zelatorem maximum, jurium B. *Petri*, et Pontificiae Auctoritatis intrepidum defensorem, Ecclesiasticae Disciplinae Assertorem fortissimum, magnum Sacri Senatus lumen, et ornamentum. Itaque cum nihil in Libro occurrat, quod Fidei, Principibus, bonisque moribus adversetur, illum et vehementer probo, et censeo posse evulgari.

Romae Kal. Octobres 1805.

A. Nuzzi Prior ad S. Mariae in Via Lata, Proth. Apost. Honor. et a Secretis S.C. Disciplinae Regularium.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Praedicatorum Sacr. Palatii Apostolici Magister.

PARS I.

CAPUT I.

Stephani Borgiae Prosapia, Ortus, et Pueritia.

Vitae synopsim scribere aggredior viri, non praeliari ingenio conspicui, atque a fusis trucidatisque hostium cohortibus omnium sermonibus celebrati, sed viri in oculis Europae virtute ac doctrina praeclari, et in luce totius Asiae propagandae pacis, et Religionis studio notissimi. Stephanus Borgia is est, amplissimus S. R. E. Praesbyter Cardinalis tit. S. Clementis, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefectus, Purpuratorum Patrum, qui publicam oeconomiam curant, summa cum authoritate Praeses, gymnasii Gregoriani, quod *Collegium Romanum* vocant, in urbe studiorum moderator. Hujus clara et honesta nominis fama non tantum in Italia, Gallia et Dania statim ab ejus obitu funebres laudationes emeruit, sed etiam Costantinopoli et in aliis Orientis regionibus concelebrata fuit (1). Me, qui Stephani auspicio, imperioque jam Anno MDCCLXXIV. in Orientalem Indiam missus fui, et iterum in Europam redux in illius gratiam incidi, haec etiam exempla movent, ne post tanti viri obitum sileam, et quae praeclara sunt illius facinora sine memoria et laude decurrere sinam. Quatuordecim fere annorum spatio illius itinerum per Italiam socius et comes fui, cum ipso saepe Velitras, Praenesten, Viterbium, Narniam, Tudertum, Perusiam, Tolentinum, Firmium, Asculum lustravi, ac denique Anno MDCCLXXXVIII. Roma exul, cum Stephano Patavii et Venetiis diutius commoratus sum. Hac arcta et familiari consuetudine inter nos ambos intercedente, nemo inficias ibit, me nonnullas amplissimi viri publicas et privatas actiones ritè observasse, ejus studia inspexisse, amicos numerasse, mores et indolem explorasse, ac ea, quae ille in publicam salutem, S. Sedis decus, atque Religionis Christianae augmentum con-

Roma Sira 1795.

(1) Constantinopoli et Smyrnae in sacra PP. ord. S. Francisci aede Stephano Cardinali honestissime et amplissime parentatum fuit.

tulit, naviter adnotasse. Haec ego simplici et ingenua narratione exequi statui, majora et sublimiora iis relinquens, quibus per otium vacat, summi viri gesta uberius et penitius describendi.

Velitris, olim Volscorum Metropoli, nunc florentissima Latii urbe, natus est Stephanus anno MDCCXXXI. ad D. III. Decembris. Fuit haec urbs jam anno CXXXIII. fundationis Romae, id est, DCXXI. annis ante aeram vulgarem viris et armis potens, utpote quae, teste Svetonio, *Saepius pene ad exitium sui cum populo romano belligeravit* (2). Nec minor est hujus urbis gloria a natalibus Caesaris Octaviani Augusti, quem in ea in lucem editum esse contra Svetonium ex Dione Cassio prodiderunt viri antiquitatis apprimè periti *Havercamp* et *Eckel*. Stetit ex animo jam aetate maturior in hac sententia Stephanus ipse, atque *Augustum*, civem suum, sibi imitandum proposuerat in cibo, in potu, in strato, in philantropia, liberalitate, comitate, aliisque virtutibus, quae Caesarem singulariter ornabant. Qua de causa collocaverat ille in procestrio *Augusti* simulacrum ex marmore, cujus frequenti intuitu ad exprimendas in seipso Caesaris virtutes excitaretur. Non defuere in patria alia Volscae virtutis illustria monumenta, quibus Stephani animus sapientia erudiri, atque ad gloriae fastigium efferri posset. Undecim Episcopos potulit Ecclesia Veliterna, qui ad Summum Romani Pontificatus gradum fuerunt evecti (3). Quanta in hoc acervo virtutum semina, et quam ampla materies praeclara Majorum studia et laudes aemulandi! At vero si his patriis decoribus ipsius gentis *Borgiae*, et domestica virtutum exempla adjicias, arbitraberis, Stephanum fortuna et gloria obstetrice in lucem editum fuisse. Est gens Borgia ex Hispania oriunda. Pace, an bellorum motibus in Italiam perlata, Velitris consederit, incertum. Primus Veliternus Borgia, de quo certum extat monumentum, est *Petrus Borgia*, cujus epitaphium affert ad annum MDX. insignis vir, Bonaventura Theuli, Archiepiscopus Mirensis, in suo Theatro Historico Veliterno (4). Longe hunc praecessit *Romanus* Borgia, Episcopus Venafri, urbis in Campania felice sitae, qui An. MCCC. episcopali infula exornatus fuit, et a Ricchio in suo Theatro illustrium virorum gentis Volscae, Veliternae Borgianae prosapiae adscribitur. Si Tabularia et publica urbis Veliternae monumenta inspicias, ea a primis

(2) Svetonius in *Augusto*, cap. 94.

(3) Confer. SS. D. N. PP. Pii VII. Litteras in forma Brevis ad d. II. Martii a MDCCCIV., quibus Cathedrali Ecclesiae Veliternae titulus praeeminentiae, et privilegia Basilicarum Minorum Urbis conceduntur.

(4) *Teatro Historico di Velletri, insigne Città, e capo di Volsci*. Velletri 1644., lib. 2. c. 5. inscriptio est haec.

Hic Requiescit Nob. Et Strenuus Eques, Dom. Petrus Borgia Cataphractor, Locumtenens et Signipher Caesaris Borgiae, Ispani Valentini Ducis, Qui obiit An. Dni. M. D. X. D. Qv. Men. Feb.

suis incunabulis gentis Borgiae meminerunt ; jamque vix dubio datur locus, hanc gentem ex eodem genere descendere, cujus erat Callistus III. Pontifex Maximus, qui Valentiae in Hispania natus, summum Pontificatum adeptus est An. MCCCCLV. ; stemmata certe, seu insignia utriusque gentis, Hispanicae nempe et Italicae, eadem sunt, et conjectandi dant locum, ambas hasce familias ab una eademque antiquissima stirpe procedere. Haec esse videtur ratio, cur Stephanus noster veterem Callisti III. P. M. effigiem in suo conclavi expositam honestissimo loco collocaverit, et tamquam suae stirpis hominem, Callistum III. singulari veneratione prosecutus fuerit (5) . Non vacat heic longam illam seriem virorum illustrium producere, quos utraque gens Borgia civili et ecclesiasticae reipublicae subministravit. Recenset illa in numero istorum sex Cardinales, nempe Johannem, Presb. Card. tit. S. Susannae, Casparum, Franciscum, alterum Johannem, Diac. Card. tit. S. Mariae in Via Lata, Johannem Nubanum Borgiam, Presb. Card. tit. SS. IV. Coronatorum, Ludovicum Card., electum Archiep. Valentinatem, et Stephanum nostrum patria Veliternum . Hic in suamet domo exoriri, ac longe lateque splendere vidit Fabricium Borgiam, Episcopum a Benedicto XIII. Ferentinati Ecclesiae praefectum, virum litteris et vitae sanctitate praeclarum ; Alexandrum Borgiam, patruum suum, Archiepiscopum et Principem Firmii, et Petrum Paulum de Leonardis, sibi sanguine conjunctum, Episcopum et Principem Asculanum . Sequitur hos ingens et illustris turma Equitum Hierosolymitanorum, quorum aliqui exercitum in hostem duxerunt, alii vero sua virtute et robore bellicis in Turcas

(5) Illi, qui Alexandrum VI. P. M. genti Borgiae adscribunt, meminisse debent, Alexandrum Patre *Goffredo Lenzolio* Valentinate genitum fuisse, atque adeò paternum genus non ex stirpe *Borgia* trahere ; sed cum ex sorore *Callisti* III. natus esset, Lenzolii nomine dimisso, *Borgiae* cognomen et insignia assumpsit, postquam *Callistus III.* sibi eum jure sororio in nepotem adoptaverat . Videatur *Platina* in Alexandro VI. edit. Ven. 1701. pag. 472. ad an. 1492. Hic velut Pontificatus Romani ingens procella, atque bonorum morum turbo, traducitur a Gordonio, Du-Chesne, et Guicciardino, quorum bilem diluit et attemperat Raynaldus . Id de hoc Summo Pontifice certò statui potest : eum ingentibus vitiis excellentes virtutes adjunxisse ; nam is ex Urbe et S. Petri ditione siccarios sustulit, vias publicas stravit et ornavit, molem Hadrianam instauravit, publica tribunalia purgavit et auxit, anathema in eos Librarios intorsit, qui manuscriptos codices typis excudunt non impetrata ab Episcopis facultate ; et quod rei caput est, praepotentem aliquorum Italiae Dominorum in suos subditos tyrannidem compressit, correxit, et castigavit. Vid. *Platina* in Alexandro VI., et *Petrus de Bourdeille*, in opere inscripto : *Memoires contenans les Vies des Homes Illustres et grands Capitaines etrangers de son temps*. A Leyde MDCLXVI., tom. 2. pag. 217. seqq., ubi de *Caesare Borgia* et *Alexandro VI.* plura memoratu digna referuntur.

expeditionibus interfuerunt, atque magnam sibi nominis gloriam compararunt. Primum locum sibi vendicat *Clemens Herminius Borgia*, nostri Stephani avus paternus, vir rerum civilium peritia, et militari scientia apprimè excultus, cujus historia Urbis Veliternae laudibus effertur a viro doctissimo, Alexandro Borgia, Archiepiscopo et Principe Firmano, in suis annalibus Ecclesiae, urbisque Veliternae, editis Nuceriae An MDCCXXIII. Hic est ille auctor et primus instructor domestici Borgiani Musei, cujus avitae diligentiae, sagacitatis, decorisque vestigiis sedulò insistens Stephanus Borgia, illud incredibili monumentorum copia et delectu auxit, atque ad aeternam nominis celebritatem perduxit. Crevit idem jam anteà opera Caesaris Borgiae, alterius Equitis Hierosolymitani, et singulari studio Clementis Borgiae, nostri Stephani fratris majoris optimi, qui dum eruendis antiquitatis cimeliis diligentem navabat operam, praematura morte correptus decessit (6). Commemorare non piget alios illustres domus Borgianae Equites Hierosolimytanos, et cumprimis Johannem Paulum, Stephani germanum fr trem, veram honestatis probitatisque effigiem, ad cujus exemplar componuntur ejus filii, strenui viri, Camillus Borgia, Caesar et Alexander; et primus quidem in curando, augendoque patrio Museo Stephani Cardinalis, patrui sui, acer aemulus, alii vero solenni emissa in equestri ordine hierosolymitano votorum professione in arma parati, singuli maxima spes Parentum, et ingens gloria domus Borgianae. Ne huic domui aliquid ad commodum et splendorem deesset, jam antiquitus fuit fundata et constituta duplex aeris portio, quarum una ejusdem familiae hierosolymitani Equites aluntur, altera illi communiuntur, qui se litteris dedunt, et ad ecclesiastica munia aspirant. In his fortunae praesidiis, et domesticae gloriae luce natus est Stephanus Camillo Borgia Patre ex Magdalena Gagliardi, spectatae nobilitatis et probitatis femina. Nulli operae et diligentiae pepercit Camillus Pater, ut Stephanus ab ineunte aetate optimis disciplinis institueretur. Primum illius tyrocinium incoepit a linguae Italicae et latinae rudimentis, quae domi suae feliciter posuit, regente, et animum illius instituente egregio moderatore, qui pacta mercede, ut apud nobiles viros moris est, pueri curam gerebat. Geographiae principia ei Pater Camillus, quasi per ludum tradidit, neque enim tenerum pueri ingenium austera severitate regendum esse existimavit, sed molliter afflantis naturae viribus ipse oleum et operam affudit. Asservabatur jam in domestico Museo numorum veterum aliqua series, ad quam Camillus puerum nondum posita praetexta conducebat. Heic Stephanus veteres Imperatorum Romanorum numos manibus contrectare, inspicere, ex vultus forma di-

(6) Piacentini in *Commentario Graecae Pronuntiationis*. Romae 1751.

gnoscere didicit · Hinc prima romanae historiae rudimenta, hinc ardens rerum antiquarum studium pueri animum invasit . Sunt pueri lepidi, festivi, et quasi quidàm simii, imitatores, atque facile in ea incidunt, quae a Parentibus fieri vident . Animum contra vitia certissime obfirmant, si quotidiana, eaque levi exercitatione ingenii et indolis vires in sapienti rerum delectu occupentur . Et talis fuit animus Stephani nostri · Accepit is a Camillo Patre ex usu et quotidiana consuetudine in rebus agendis perspicaciam et sagacitatem, in tolerando virilem quamdam patientiam, in dicendo divinam illam veritatem, a qua numquam amplius recessit. Ex matris moribus castus atque pius, religionem, sine qua nulla certa et pura animi honestas consistere potest, ceterarum erga Deum et homines virtutum, tamquam fundamentum posuit, et religione comite maxima et ardua quaeque molimina, laboresque aggressus est, quibus ille tandem, ut nos paulò infra ejus praeclara facinora edocebuit, ad maximum gloriae gradum ascendit . Specimen propositi, semper et ubique dicendae veritatis, ego in pervetusta illius pagella deprehendi, cui puerili manu inscriptum erat ROMAE VERITAS · Videbatur mihi Stephanus adhuc puer arma caepisse, quibus ipse se contra palpum et officias praemuniret, mendacium debellaret, et praesertim Romae, ejecta aut contempta assentatione, veritati trophaea statueret. Et eventus nos edocebit, eum ab hoc principio numquam deflexisse · Sagacitatem pueri, quod attinet, libet unicum exemplum proferre . Magno hominum plausu celebrabatur illa aetate quidam religiosorum virorum coetus . Sed, ut in humanis rebus accidere solet, fuere aliqui, qui applaudentibus contradicebant. Haec eadem contradictio enascitur in Stephani domo, quam ut Camillus Pater componeret, et attemperaret, ait *Religiosi illi viri vivere sciunt*, sicque ille statim conticuit · His Camilli verbis auditis, dubitatio et curiositas subit animum Stephani, quid illud *scire vivere* significaret · Rem ille pro modulo suo considerat, sed effati sensum nequaquam assequitur · Ergo socios inquirit, viros doctrina praestantes adit, quibus ille dictum Camilli Patris aperit et exponit · Ab his tandem ille percepit, *vivere scire* idem esse, ac in utramque partem, probam, et improbam velificare, nulli certo divino humanoque praecepto inniti, sed quasi semper ex proprio arbitrio et libidine operari · Et revera hujus flagitii accusabatur coetus ille . Quamobrem hoc Camilli Patris dictum Stephanum cautum reddidit in illius farinae hominibus pertractandis, ac deinde instituta per se ipsum certiori investigatione animum illius ab hoc virorum genere per totum reliquum vitae tempus penitus avertit · Tantum valent in puerorum animis tropi, atque ipsi Parentum mutili et dimidiati sermones, quos nisi hi ad rectam rationis et honestatis regulam exigant, incendunt et

labefactant filiorum mentem, ut nulla deinde jura, nullas leges agnoscant, nullique hominum vitae sua improbitate parcant.

CAPUT II.

Stephani Borgiae Educatio, et Prima Studia Firmii.

Exacta inter domesticos parietes pueritia Camillus Pater Stephanum maturè severioribus disciplinis instituendum esse duxit, ne primus juventutis flos inter ludrica et inania periret. Erat tunc Firmii Alexander Borgia, Archiepiscopus et Princeps, Stephani Patruus, vir divinis humanisque litteris pene ad miraculum excultus. Enitebat in illo prisca illa morum gravitas, summum Religionis studium, prudentia, eximia doctrina, liberalitas, justitia, comitas, animi candor, et purissima vitae honestas; virtutes non magis Venerabili Antistiti propriae, quam ad temperandum ecclesiasticum principatum quam maxime accmomodatae. Summa et admirabilis fuit ejus eloquendi copia, et facultas, qua hominum animos movere et ducere novit, quaeque hodiedum ita ejus homilias ac alia ab eo elucubrata opera ornat, ut sine placida animi emotione vix legi possint. Edidit ille Annales Ecclesiae et urbis Veliternae (7), homilias sacras ad populum Firmanum (8), in quibus excellunt paraenesis in extirpationem detestabilis blasphemiae criminis, dilucidationes in articulos fidei et virtutes theologicas, instructiones pastorales in constitutiones pontificias, et praestantissimae exhortationes in cultum et venerationem Virginis Deiparae. Latino pereleganti sermone is in lucem protulit vitam Benedicti XIII. P. M., viri morum probitate, et insignium gestorum gloria clarissimi. Adest quin imo in Museo Borgiano Alexandri Antistitis commentarius manuscriptus de rebus suo aevo Firmii, ac in tota pene Italia gestis, qui tanta latinae linguae elegantia et nitore, tam mira sententiarum varietate, et pondere refertus est, ut prima T. Livium, secunda Tacitum superasse videatur. Codex iste exaratus est in folio, seu, ut ajunt, in charta regia majori; atque jam dudum Stephani cura typis editus fuisset, nisi ille improba aliqua facinora illorum belli ducum contineret, qui anno MDCCXXXXIV. Italiam cruentis caedibus, et agrorum depopulatione vastarunt (9). Ut horum nomini parcatur, codex ille adhuc in gurgustio latere cogitur, alioquin dignus qui

(7) *Istoria della Chiesa e Città di Velletri*. Nocera 1723.

(8) Borgia Alessandro Omelie tom. III. Fermo 1756., et saepe alibi typis editae.

(9) In hoc bellico incendio direpta fuit urbs Veliterna, et clades illata domestico Borgiano Museo.

aureis typis excudatur, et omnium manibus teratur. Hunc Stephanus jam aetate provectus perlegebat, dum aliquando animi moerore opprimebatur; et ex eo tanta mentis voluptate afficiebatur, ut inde recreari et palam gestire videretur. Huic igitur praeclaro Antistiti et gravissimae auctoritatis viro anno 1740. Camillus Pater Stephanum tradidit in disciplinam; et si quidem verum est, quod ajunt: *primum discendi ardorem esse nobilitatem Magistri*, non potuit non proficere Stephanus sub tanto Socrate, ingenii sui moderatore. Primò ei traduntur sacrae et profanae historiae elementa, ut iis positis mens Stephani vitae humanae, orbisque universi theatrum conspiceret, et in illo erudiretur. Est enim, teste Cicerone, historia temporum testis, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, quam nisi consulas, altero oculo e fronte amisso, uno solo vitam auspicaberis, et per avia et devia abripieris. Huic scientiae Stephanus non confuso, sed dilucido rerum ordine operam dedit, constitutis omnis aevi majorum gestorum epochis sacris et profanis, ad quas omnes incidentes eventus facile revocabat. Enim vero ex hac temporis in certa intervalla separatione orta est in ejus mente clara et distincta annorum notio, quibus praecipua omnis aevi gesta adscribuntur, fuitque in his recensendis Stephanus tam promptus et expeditus, ut quaerentibus ex eo alicujus eventus annum, ille extemplò satisfaceret, et eos facile de rerum serie condoceret. Non didicit ille in historia contemplari nuda rerum gestarum simulacra, quod sterilem quamdam cognitionem potius, quam historicam disciplinam inducit, sed, quod doctè praecipit Polybius (10): inquisivit in rerum causas, et *quomodo*, et *quem ad finem*, quidquam actum fuerit, atque utrum hoc ipsum optima ratione et consilio ad extremum usque finem processerit, maxima mentis attentione investigare solitus erat. Induxerat ad hanc justam rerum trutinam juvenilem Stephani animum matura et exercitata virtus Alexandri Borgiae, quo auctore et moderatore juvenis perlegebat Ecclesiae, et Romani Imperii annales. Haec fuere prima incunabula immensae illius et robustissimae doctrinae, quam deinde Stephanus sparsit in praeclaris operibus ab se in provectiori aetate elucubratis. Ab hoc historiae studio Stephanus se contulit ad Philosophiam, non illam quae hodie in usu est, Deo et generi humano inimicam, quae caelum terramque conturbat, sed ad illam philosophiam, quae in rerum naturalium causas inquirit, et ex iis naturae Artificem ac rerum omnium supremum moderatorem agnoscere, admirari, et collaudare studet. Philosophiae

(10) Polybius: Ἱστορίας γὰρ ἐὰν ἀφέλῃ τις ἢ διὰ τί, ἢ πῶς, ἢ τίνος χάριν ἐπράχθη, ἢ τὸ πραχθὲν πότερα εὖ λόγον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ Καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθησις δὲ οὐ γίνεται. Vide *Polybii et Herodiani loca selecta*, Romae 1783. apud. Fulgon. pag. 90.

partes, Logicam et Metaphysicam, is ita didicit, ut ex utraque recte et concinne cogitandi artem hauriret, quam nisi illi judicio, quo a natura instructi sumus, adjicias, saepe in defectum mentis et errorem prolabimur. *Logica, Logica*, exclamabat Stephanus, dum is aliquem sermonem tortuosum, rationis vi et judicii facultate destitutum auribus exciperet, aut cum aliquo, his dotibus minime instructo, sermonem conferret. Vetus est Turcarum adagium : Hhaqua ki geahel ssohbati nari gehannamdan betar, id est : *Indocti hominis consuetudo, ignis Inferorum igne pejor est* (11). Hoc longe magis valet de sermone et consuetudine viri, a quo judicii facultas, et rectae rationis vis abest. At verò praecipua judicii, sanaeque rationis pars et munus est, ne quid temerarie et festinanter peragamus. Nihil minus in perfecto duce, quam festinationem, temeritatemque convenire arbitrabatur Augustus Octavianus (12), et *sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene*. Et hoc exemplum civis sui Augusti secutus est Stephanus, qui numquam temerarie et festinanter se negotiis implicuit, aut cum gravi viro sermonem contulit, quin is antea rem accuratè expendisset. Prudens dubium in negotiis saluberrimum est ; quod utinam Stephanus etiam in delectu amicorum suorum adhibuisset, neque enim vertente adversa fortuna, quam is deinde expertus est, tot profugos et ingratos ex castris amicitiae discedere vidisset. Duorum certè virorum imagines, quos ipse antea dilexerat, ex serie suarum imaginum, quam is in sua bibliotheca conservabat, ob improba eorum facinora expungere debuit. Non satis firmiter menti ejus inhaesisse videtur illud Isocratis monitum : *Neminem tibi amicum facias priusquam quaesieris, quomodo aliis ante te amicis usus sit* : et illud, *Proba amicos ex vitae infortuniis, et communione periculorum*. (13) Haec quidem ad Stephani Logicae rationem spectant, at alia sunt quae ad Ethicam referuntur. In hac ille excellentes Publii Syri sententias sequebatur (14), in quibus prudentis et honesti viri pene omnia officia, artemque regendi animi contineri dicebat, quam ille numquam dimisit, sed ad obitum usque firmissime retinuit. His sententiis ille suos sermones aspergere solitus erat, quae aptè et ex tempore prolatae, miram illius ori et facundiae venustatem conferebant. Legebatur quotidie aliquid ex libris selectis ad mensam Archiepiscopi Alexandri, et Stephanus huic lectioni aurem accommodabat. Sub finem

(11) *Proverbii utili e virtuosi in lingua Araba, Persiana, e Turca, raccolti da* Timoteo Agnellini, *Vescovo della Mesopotamia*. Padova 1688. p. 29.

(12) Svetonius in *Octavio Augusto*.

(13) Deflexit heic Stephanus ab Octavio Augusto, prudentissimo cive suo, de quo Svetonius. *Amicitias neque facile admisit, et constantissime tenuit*.

(14) *Publii, Syri Mimi aucti et correcti cum notis et variis lectionibus*. Patavii anno 1769. apud Josephum *Cominum*.

prandii Alexander Stephanum adoriebatur, et studii fructum ex juvene postulabat. Recitante Stephano quae didicerat, Alexander vel menda castigabat, vel juvenem dilaudabat, vel obscuros locos expediebat et illustrabat, vel denique veterum sententiis et exemplis confirmabat. Hinc in Stephanum transfusa fuit admirabilis illa et prompta eruditio, et doctrina, quam deinde in illo litterati viri suspexerunt et admirati sunt. Id quod in hac lectione singulare fuit, et memoriam meretur, est: expediebantur in illa non solum romana et domestica monumenta, sed etiam linguae, ritus, mores, et relationes Asiae et Affricae; quod Stephanus mihi saepenumero narrabat, librumque P. Costantini ab Asculo, in Tibeto olim fidei praeconis, quem sub Alexandro censore legerat, commonstrabat. Quamvis universum genus humanum ab una matre et artifice prodierit Natura, attamen ita singulas gentes afficit caelum sub quo habitant, ut decem leucae in earum mores, ritus et jura variationem inferant, et unam ab alia ingenio et indole secernant. Acutè hoc perspexerat Alexander, atque ideò Stephani animum non solum in cognitionem patrii juris et morum, sed etiam per Asiae et Affricae climata, mores, ritus, et jura traduxit, ut collatis gentium monumentis eo tutius certiusque statueret, quidquid in humana natura, ejusque legibus fas vel nefas esset. Hac domestica velitatione jam probè exercitatus Stephani animus, in publicam concertationem exire gestiebat. Nos breviter publici illius exercitii seriem exhibebimus, ne tamdiu scholastico pulveri insistamus. Anno 1750. litterarii honoris gradum, quem *licentiatum* vocant, in Philosophia accepit. Hoc eodem tempore socius Cortonensi academiae adscriptus fuit, statimque elucubravit primum sui studii partum, qui inscribitur: *Monumento di Papa Giovanni XI'I.* Roma 1750. Numerabat Stephanus suae aetatis annum decimumnonum, dum hoc opusculum publicam lucem aspexit, et tamen enitet in eo senilis quaedam erudito, et non ambiguum excellentis cujusdam mentis indicium. Hic est primus ille fructus, quem Stephanus ipse attribuit praeclarae suae institutioni ab Alexandro Borgia acceptae. Secundus est, quem is anno insequente potulit, quique inscribitur: *Dissertazione sopra un' antica Iscrizione rinvenuta nell' isola di Malta nel* 1749., quae affertur in ephemeridibus litterariis ad an. 1751., editis Romae apud Palearinos. In utraque hac dissertatione Stephanus eloquendi genus secutus est candidum, elegans, ac temperatum, imitatusque fuit Octavium Augustum, civem suum, de quo Svetonius scribit: *Praecipuam curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere.* Vertente anno MDCCLII. Stephanus in Firmanam Philologorum academiam receptus fuit (15), ediditque insigne opusculum, quod

(15) *Philologi* dicuntur, quos multiplex, variaque doctrina ornat, C. Svete-

inscribitur : *Breve Istoria dell' antica città di Tadino nell' Umbria, ed esatta Relazione delle ultime ricerche fatte sulle sue ruine*, Romae 1752. ex Typogr. Palladis ; quod quidem nostri *Philologi* opus majorem lucem accepit a Doctissimo Gorio Florentino, cujus amicitiam jam tunc sibi Stephanus paraverat similitudine sudiorum • Enimvero Gorio ille nuncupavit hunc sui ingenii partum, ut ejus judicium exploraret, et veteranum pugilem in palaestra haberet defensorem ipse tyro et juvenis. Labentem hunc annum clausit publica et solemnis scholastica concertatio ex Theologia, ex qua Stephanus varias proposuerat theses in Doctorum coetu ventilandas et discutiendas, quas ipse acri mente et prompta lingua honestissime defendit . Accessisset adolescenti major gratia, ni vox gracilis et subrauca fuisset, quod naturae vitium ob imbecillitatem pectoris, qua ille laborabat, ipsum persaepe vexavit . Aderat huic concertationi Alexander Borgia, qui velut alter *Cato*, Senatui assidebat, atque Stephani ingenium, sagacitatem, et promptitudinem exploraverat . Nec multo post Stephanus in numerum Theologiae Doctorum publice adlectus fuit . Quae quidem doctoralis laurea eum a studiis non retraxit, quod plerisque Doctoribus indoctis accidere solet, qui sepositis libris solo Doctoris titulo popularem auram aucupantur, et quae nostrorum temporum calamitas est, prima in gymnasiis subsellia occupant. Propulit Stephanus suam cymbam velis et remis, atque ardentius per altum aequor excurrere coepit . Veteres numi, manuscripta, codices, inscriptiones, historicae et legales quaestiones, gentium ritus et mores, romana et graeca monumenta ejus palatum titillabant, et animum vehementer movebant . His ille suam curam, aes, et diligentiam impendere, et iis nocte dieque occupari . Nondum ille ideam conceperat instruendi aut instaurandi alicujus Musei, quod is deinde mihi libere et ingenuè confessus est, sed quasi per ludum, et ex antiquitatis genio quiquid aquirebat, aut eruebat, in suum privatum studium seposuit, ut iis monumentis in suis lucubrationibus uteretur . Excrescente deinde monumentorum numero aliqua spes affulsit, privati alicujus Museoli instruendi . Moritur interea Fabricius Borgia Episcopus Ferentinus, alter Stephani Patruus, quem Alexander Borgia sub Benedicto XIII. P. M. in Ecclesia Veliterna solemni ritu consecraverat, et Ferentinati Ecclesiae desponderat • Hic vir pietate et profusa in suos Ferentinates liberalitate insignis, in omnium oculis et votis erat, indoluitque vehe-

nius Tranq. lib. 1. de Illustribus Grammaticis et claris Rhetoribus, *Philologi* appellationem primum sibi vendicasse scribit *Eratosthenem*, quem secutus est Atteius . *Philologi*, inquit, *appellationem assumpsisse videtur* (Atteius), *quia sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vendicavit, multiplici, variaque doctrina censebatur* .

menter ad illius obitum non solum grex ille praeclarus suae dioecesis, sed etiam cives Veliterni, qui eum summopere diligebant. Ut Stephanus horum moerorem diminueret, Fabricii Borgiae claram memoriam funebri laudatione prosecutus est; quae oratio edita fuit typis Veliternis anno 1754. Ex hac oratione cognoscimus Fabricium aliqua opuscula ascetica scripsisse, et homilias adornasse, quas ille typis vulgaverat, ut per illas in sua dioecesi divinum cultum pietatemque promoveret. Tanta est in gente Borgia Religionis cura et studium, ut inter ecclesiasticos ejus familiae viros vix aliquis reperiatur, qui aliquid in Ecclesiae decus non contulerit (16). Anno insequente 1755. Stephanus Firmanae Eruditorum Academiae a secretis jam electus, ejus societatis leges, jura, privilegia collegit, auxit, et instauravit, atque in ea varias dissertationes recitavit, quarum duae typis excusae in lucem prodierunt. Prima inscripta est: *Apologia del Pontificato di Benedetto X. già Vescovo di Velletri*, edita Mutinae an. 1756. in Ephemeridibus Litterariis perdoctae Societatis academicae Mutinensis, in qua Stephanus juvenili ardore contra Eruditorum communem opinionem evincere studet, Joannem Mincium, Episcopum Veliternum Stephano IX. Papae legitime successisse, eumque sub *Benedicti X.* nomine in legitimorum Romanae Ecclesiae Pontificum Catalogo collocandum esse. (17) Nobis vitam Stephani scribentibus hanc litem dirimere non licet, ne a proposito et scopo nostro quam longissime divagemur. Altera dissertatio inscribitur: *Dissertazione Filologica sopra un'antica Gemma scolpita con il Ritratto dell' Imperatore Eliogabalo*. Haec dedicata fuit Academiae Hetruscae Cortonensi et Florentinae, insertaque opusculis philologicis Ab. Angeli *Calogerà*, Venetiis 1757. apud Simonem Occhium, tom. III. p. 413. Haec fuere prima studia et opuscula, quae Stephanus Firmii sub disciplina Alexandri Borgiae absolvit. Ex quibus patet, eum sacra profanis consociasse; et optimo quidem consilio, cum ea sibi invicem lucem praebeant, et sine erroris periculo vix disjungi possint. Qualis S. Scripturae interpres fuisset S. Hieronymus, si ille profanam eruditionem sacrarum rerum cognitioni non addidisset? Videri is potest epistola XIII. ad *Domnionem*, ex qua rabulis illis indoctis, qui Stephani profanam

(16) Petrus Antonius Borgia, alter Stephani nostri Patruus, postea P. Felix a S. Catharina, Carmelita Discalceatus, et Conventus S. Mariae de Scala Romae Moderator, qui obiit anno 1764. aetatis suae an. LXVII., in lucem edidit Vitam F. *Bonaventurae Theuli*, Archiepiscopi Mirensis, celebris Historici Veliterni, cujus opus extat sub lemmate: *Teatro Istorico di Velletri*. Velletri 1944. Fabricius Borgia anno 1711. vulgavit opusculum, in quo erudite describit translationem corporis SS. *Gerardi* Episcopi, Urbis Veliternae Patroni.

(17) Vid. Berti, *Ecclesiasticae Historiae Breviarium*, edit. Bassani 1791. pag. 88. parte II.

eruditionem, tamquam viro Ecclesiastico indignam, arrodere, et in circulis vellicare ausi sunt, illud S. Doctoris effatum accinimus: *Optima quaeque, ut ait Plinius, malunt contemnere plerique, quam discere.* Et aliud Epist. XIV. *Vitetis eorum supercilium, qui judicare tantum de aliis, et ipsi facere nihil norunt.* Omni illo tempore, quo Stephanus sub disciplina Patrui sui, Alexandri Borgiae, Firmii versatus est, praeter litterarios circulos vix aliam domum adivit, exceptis aedibus Clarae Spinucciae nobilis, et spectatae virtutis feminae, quam unicam assentiente Archiepiscopo ob singularem illius ingenii vigorem, vocis suavitatem, et summam modestiam aliquando invisit. Hujus virtutibus captus et allectus est illustris Saxoniae Princeps Xaverius Augustus, eamque sibi legitimo matrimonio despondit, ex quo natae sunt tres illae radiantes stellae, et romanae Urbis hodierna decora, Mariana Princeps de Alteriis, Cunegundis Marchio de Patriciis, et Antonia de Maximis, tres germanae sorores, et Principis Xaverii Augusti, atque Clarae Spinucciae nobilissimae filiae. Hanc e Germania in Italiam reducem Stephanus, jam Cardinalis, anno 1792. iterum Firmii invisit, in quo itinere me sibi comitem adjunxerat. Haec est unica illa femina, in cujus gratiam Stephanus e domo sua aliquando egressus est, vitavitque conspectum mulierum ac blanda earum vitia, quas numquam sine teste in suam praesentiam et alloquium admisit. *Il mio cuore non hà mai arso*, mihi dicebat ipse; et credibile est, eum numquam pernicioso aliquo amore exarsisse, neque enim bene componitur cum litteris et assiduo studio femineus amor. Eleganter canit Propertius:

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit amorem.
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Is primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis multa perire bona.

Ceterum, maxima oblectationis pars, qua Stephanus capiebatur Firmii, erant deambulationes ad ripam maris Adriatici, praecipue in loco, qui *Portus Firmii* dicitur, ac mira caeli clementia atque aeris temperie gaudet. Ibi Stephanus autumnalibus feriis, et alias per annum saepissime placidos maris fluctus spectabat, piscatorum cymbas, et piscandi dexteritatem examinabat, pisciculorum genera et species pernoscebat. Hinc iterum ad studia regredi solitus, omnem conatum exeruit in veteribus manuscriptis, codicibus, siglis, inscriptionibus rite legendis, ac interpretandis. Variabat studia, et sacra profanis intermiscebat, ne idem continuum studii genus stomachum moveret, aut nauseam afferret. Cibus ei parcior tempore prandii, et coena non nisi duobus aut tribus piscibus apparabatur. Vinum aqua dilutum, et semper tempe-

ratum apponi jussit. Imitabatur ille hac temperantia Augustum, civem suum, de quo Svetonius: *eum subinde tam diligenter jejunasse, quam Judaei Sabbati jejunium servare solent*. Neque sine consilio Stephanus sibi a graviori cibo potuque temperabat, is enim semper vel ad legendum, vel ad lucubrandum promptus et expeditus esse voluit. Horologium manuale numquam portavit, et prandii atque coenae horam a vacuo stomacho sibi perfectè indicari dixit. Lectus ei durior, et talis, ex quo ille se facile ad lucubrandum proriperet. Paraverat illi D. Petrus Paulus de Leonardis, Episcopus et Princeps Asculanus, anno 1792 autumnalibus feriis nobilem, sericis stragulis et plumeis cervicalibus instratum torum, quem cum Stephanus conspexisset, et digito tentasset, confestim ad me conversus: *sumite*, inquit, *tibi hunc lectum, neque enim tam mollibus assuetus sum*. Postquam illum instruendi novi Musei cupido incesserat, is aliquando aureas vel argenteas pixides, et ipsas periscelidum aut calceorum suorum fibulas vendebat, atque ex iis exacto aere vel vetus aliquod monumentum comparabat, vel lucubratiunculas suas typis mandabat. Ipsum meum *Systema Brahmanicum* non nisi divendita una aurea pixide Fulgonianis typis excusum fuit. Ex Patrui sui disciplina castus, liberalis, et sui custos severus, pecunia sua non tamquam *domina*, sed ut *ancilla* uti didicerat. Pecunia, inquiebat ille, ire, et redire solet, gyrumque suum perficit; at vetera monumenta, et litterati viri, qui ea illustrant, rarò veniunt, et quasi numquam revertuntur. Illis itaque, dum amicis ad praesidium praesto sunt, uti oportet.

CAPUT III.

Stefanus Borgia Romae, ac deinde Beneventi Rector.

Anno MDCCLVI. Firmio se Romam contulit Stephanus, ut propius accederet Principis solio, a quo in excellentes viros favores, munera, et dignitates dimanant. Collocatur in academia ecclesiastica nobilium juvenum, in quam omnes illi se conferre student, qui publica munia ambiunt, et gravissimis disciplinis institui ac expoliri peroptant. Heic Stephanus tanta animi contentione se studiis dedit, ut ipse deinde aliquando fassus sit, se perarò domo egressum fuisse. Dissertationes in historiam ecclesiasticam varias summo cum applausu recitavit, et maximo studio connisus est, sui moderatoris et Praesulis *Erbae*, ac deinde *Viscontii* benevolentiam emereri; cum sibi optime perspectum

exploratumque esset, ab eorum favore et commendatione apud Summum Pontificem suae fortunae et dignitatis maximam partem repetendam esse. Vexantur, ut ait Lucianus, litterati viri perpetuo Jovis odio, et nisi Principis gratia eis accedat, in diuturno pulvere versantur. Hunc pulverem et propria virtus, et amicorum commendatio, et Principis benignus aflatus discutere debet; namque his rectè petitur Consulatus, et Principum imperia quam maxime exornantur. Privatis studiis, et academicis exercitationibus Stephanus addidit celebrium virorum, qui tunc Romae versabantur, circulum; ac praecipue Marchionis *Locatelli*, et insignis Equitis Hierosol. *Vectorii*, qui eidem ad graecam, romanamque archaeologiam, atque ad intima antiquitatis studia supremum aditum aperuerunt. Languent plerumque, et facile emoriuntur etiam praecalidi animi nostri conatus, et molimina, nisi illa ab hac cote acuantur, incitentur, et quasi a rubigine perpurgentur. Calcaribus et stimulis incitati equi celerius currunt, et juvenum mens animusque doctis vexationibus propellitur, et eruditur. Et accessit Stephano ex hac doctorum virorum familiaritate et consuetudine mira eruditio, sagacitas, et judicii vis tam perfecta, ut jam ipse pleraque vetera monumenta per semetipsum aequo sensu et sapore dignoscere ac dijudicare sciret. Quare vertente anno 1755. ob praeclaram honestamque sui nominis famam accademiae Palermitanae, quam ab *aequo gustu* nuncupant, deinde *Immobilium* Alexandrinae litterariae societati adscriptus fuit. Anno proxime insequente MDCCLVII., Romae in Archigymnasio, quod vulgò *Sapientia* nuncupatur, in jure canonico Doctoris lauream accepit; in quam juris scientiam illius animus maxime propendere videbatur, stravitque illi viam ad Pontificis, Ecclesiaeque Romanae jura penitius investiganda. Et vero huic deinde studio ille se totum consecravit, ac vindicem, assertoremque illorum jurium is se semper ostendit, quotiescumque illa vel in dubium vocabantur, vel incauta libertatis audacia publicè infringebantur. Eodem anno vertente, festa luce Servatori in caelos ascendenti sacra, in sacello Pontificio coram Purpuratis Patribus, et ipso Summo Pontifice solio insidente orationem in laudem Christi Servatoris in Coelum contendentis recitavit, in qua is, si non vocis pectorisque vires, certè ingenii sui, animique pii facultates amplissime et honestissime ostendit, impressitque sui vivam imaginem in animo illius doctissimi Pontificis Benedicti XIV., qui eum exinde singulari benevolentia prosecutus est. Sub hoc ipso, Stephanus, instructo, ut ajunt, suae nobilitatis processu, habitum praelatitium assumpsit, et summo cum decore Ecclesiae Romanae Praesulibus adnumeratas est. Ex hoc praeclaro Praesulum coetu Nuncii Apostolici, Praetores Urbis, aerario Pontificio Praefecti, urbium S. Petri ditionis Moderatores, consularium viarum Curatores, rei frumentariae Praesides, aliique publici Rectores seliguntur;

statque in eorum bono delectu tota Romanae Ecclesiae, ac S. Sedis temporalis prosperitas, decor, et salus. Felix, et beatus est ille Princeps, qui eorum indolem, scientiam, et mores maturè perspicit, et aptos, idoneosque rebus gerundis admovet ; ab hoc enim bonorum perspicaci delectu summa totius populi felicitas pendet . Numerat *Polybius* duas potissimum causas, quae bono Rectori obsunt, et populum vehementer conturbant, scilicet : *avaritia*, et *injuriae*, quas ille plebi irrogare solet (18). Haec ergo vitia bono regimini quam maxime perniciosa sunt, atque velut funesta pestis Praetoribus, Rectoribusque summopere sunt evitanda. Non fugit hoc Stephanum, qui publico muneri jam maturus, per amicos apud Pontificem, triennio in nobili illa palaestra academica jam exacto, commendari, ac dignitate aliqua augeri peroptabat. Perspecta erat illius liberalitas, et ab avaritiae sordibus liber animus, quem comitabatur naturalis quaedam viri comitas, et morum suavitas: dotes ad demulcendam plebem quàm maxime accommodatae. Et verò obtinuit ille, anno MDCCLIX. exeunte, praefecturam Urbis et Ducatus *Beneventani*, munus non tam gratiosum et illustre, quam negotiosum et valde molestum. Est *Beneventum* urbs Italiae perantiqua, provinciae Metropolis, Ecclesiae Romanae vetus possessio, in regno Neapolitano sita, aprica et opulenta planitie ita circumfusa, ut ex labore et industria incolarum, quam maxima vitae commoda proferre possit. Multitudine pecorum partim ad vescendum, partim ad agrorum cultum, partim ad corpora vestienda abundat, eaque crebra cum vicinis commercia pandit et firmat. Clara est plurium insignium virorum prosapia, sed cumprimis natalibus *Orbili*, Grammatici dicacissimi, ferula et scutica semper armati, quem Horatius *plagosum* appellavit. Extat ejus vitae compendiolum apud C. Svetonium lib. 1. de *illustribus Grammaticis*, qui eum Cicerone Consule Romam advenisse scribit. Hanc provinciam Stephanus temperandam suscepit cum ea prudentiae et moderationis laude, ut exacto suo gubernio, inde non *ditior*, sed *honestior* Romam reverteretur. Et verò reliquerat is Beneventi apud omnium ordinum cives quemdam in se benevolentiae et laudis stimulum, atque perpetuum honestatis ac amicitiae fomitem, quo factum est : ut illi ipsum etiam posito regimine, atque longe absentem amarent, dilaudarent, et vehementi illius desiderio tenerentur. Quod quidem amicitiae ac desiderii genus,

(18) Polybius lib. de *Moribus*, in locis selectis, edit. Rom. 1783. p. 14. Edidit hoc opusculum suo nomine suppresso Doctistimus, et in Graeco sermone versatissimus Michael Angelus *Luchi*, Monachus Benedictinus, deinde S. R. E. Cardinalis, Stephano Borgiae firma amicitia conjunctus. Vide *Catalogo delle Opere del fù Emo Cardinale Michelangelo Luchi*, qui extat ad calcem funebris orationis in ejus laudem dictae, et Romae editae an. 1802. apud Lazarinium.

mea sententia, certissimum est rectè administratae provinciae argumentum; quemadmodum ex adverso certum esse solet indicium pessimi gubernii, atrox et constans in populo memoria injuriarum, quibus a Praetore affectus est. Quatuor potissimum modis Stephanus summam in temperanda sua provincia laudem assecutus est. Bona populi studia promovendo, constanter et assidue jus dicendo, urbem exornando, et pacem, castosque mores inter cives propagando. Jus dixit quotidie: et, ut is aequitatem, quae vinculum civitatis est, civibus suis assereret, in proxima villa, ad quam ille se clauso tribunali ad vesperum conferre solebat, ut ibi animo pacato boni regiminis consilia secum ipso agitaret, varias juris aequitatisque sententias, ac gravissimorum virorum effata parieti inscripsit, ex quorum norma jurgia et lites componebat, ac judicia instruebat. Ut is causas, crimina, eorumque adjuncta ritè cognosceret, utebatur consilio et exquisito delectu paucorum virorum, quibus et municipalia jura, et mores urbis ac provinciae perspecti erant; adhibuitque suae diligentiae et sagacitati socium virum omnium lictorum coryphaeum, mente acerrimum, moribus honestum, et litteris excultum, utpote qui de praetorii juris adminiculis, ac ratione inquirendi reos opusculum conscripserat. Nullus acciderat in urbe eventus, nullum in provincia delictum, quod Stephanus hujus viri diligentia et sagacitate palam et apertè non detexisset. Severis et acerbis poenis cohibiti fuere illi, quos Svetonius in Augusto *grassatores* appellat, homines nempe, qui aliena bona invadunt, et vi diripiunt, et civilis societatis ac publicae tranquillitatis prima et maxima pernicies esse solent. Occultae caedes, quarum origo et circumstantiae maxime implexae, Praetori et judici fastidium, difficultatem, et multiplex dubium creare solent, tam acri indagine antecedentium, et subsequentium actionum arguebantur et dilucidabantur, ut certum appareret rei crimen, nec jam aliqua tergiversatione, aut maligno artificio caelari posset. Detinebatur in carceribus Stephani auctoritate insignis vir admissi homicidii accusatus. Is ex alto carcere, certa in longinquo campo consistentibus sociis signa daturus, tubum visorium a Stephano poposcerat, tamquam illo carceris molestias, huc et illuc spectando, sibi diminuere vellet. Concessit Stephanus detento tubum, sed partem fenestrae inferiorem ipsius carceris obstrui curavit, jussitque reum oculis suis tuboque Caeli spatia metiri, et mentem inter astra divertere, quibus inspiciendis libere occupari posset. Etvero malitiam viri eventus comprobavit, instructo enim acri judicio, criminis commissi convictus fuit, a cujus poena, opulenti licet ejus socii et parentes, qui causam Romae discutiendam et defendendam celeberrimo patrono et causidico tradiderant, eum eximere non potuerunt. Tanta fuit in hoc, et aliis eventibus Stephani sagacitas, prudentia, et virtus, ut in semel assumptis

negotiis se vinci et debellari non facile assentiret. Agriculturam, quod praecipuum est populi et provinciae Beneventanae studium, promovit, auxit, et rem frumentariam diligentissime curavit. Perspectum illi fuit ea lucra, quae ex agrorum cultu percipiuntur, minora quidem esse, quam quae ex maritimo commercio, aliaque hominum industria obveniunt, sed eadem et diuturniora, et tutiora esse solent, atque hominum mores, castos, sobrios, vitamque ipsam inter labores pacificam reddunt, ne facile in vitia et intestina bella prolabatur. At verò externa et maritima commercia, quamvis urbes citò opibus augeant, finitimorum invidia, moribus corruptis, luxu, et superbia laborant, atque cives externis bellis saepissime exponunt. Cecidit *Tyrus* et *Carthago*, atque nostro aevo *Ulysippo*, *Janua*, et *Amstaelodamum* vehementer correptum est. Haud diu tenetur, quod a multis petitur. Si frequentium bellorum calculum a duobus seculis in Europa, Asia, et America gestorum ineas, pauca sunt, quae maritimum commercium, et vicinorum invidia non excitavit; at agricultura, et ex ea dimanantes opes, vix unum. Ergo agriculturae promovendae, et rei frumentariae servandae studio incubuit Stephanus Beneventani Ducatus eximius Rector. Hoc suo studio et diligentia is anno MDCCLXIV., dum horrenda annonae caritas et fames circumfusas provincias, ipsamque Neapolim, portubus, navigiis, et maritimo commercio instructam urbem, depascebatur, Beneventum, eique annexam ditionem a tanto malo incolumem servavit, et sapienter distributa annona, Benevento omnem famem depulit. Hoc nos edocet insignis inscriptio marmori insculpta, quam Senatus Beneventanus Stephano Borgiae in grati animi testimonium in ipsa publici palatii externa fronte collocari curavit, quaeque rei gestae memoriam hodiedum asservat. Est autem illa his verbis concepta.

Stephano Borgiae, Patricio Veliterno - Firmano - Romano-Beneventano, Equ. Hieros. V. S. R. Proton. Apost. Pontificio Beneventani Ducatus Rectori. Qui Delegati Apostolici munere auctus, in maxima rei frumentariae inopia, ita annonam defendit fortiter, sapienterque distribuit, ut famem Italia fere omni grassantem vicinis civitatibus lenierit, Benevento depulerit, Servatori Urbis S. P. Q. B. in perpetuum gratiarum monumentum A. M. DCC. LXIIII.

Singulare Stephani facinus in hac frumenti penuria, e panis cibarii inopia fuit, quòd is publico edicto caverit, ne Beneventani pistores populo recentem, mollemque panem divenderent, sed eum, qui pridie ex furno extractus jam induruisset. Hac agendi ratione is populi voracitatem, atque edendi panis desiderium cohibuit, non subtracto necessario ad vitam alimento, sed duntaxat immutato; ex quo illud publico bono

emolumentum accessit, ut homines parcius pane vescerentur, lentius concoquerent, ac minori quidem, sed firmiori portione panis fami obniterentur. Duplo minus frumenti quam antea, hoc duro panificio in usum populi insumptum fuisse Stephanus saepenumero narravit. Arcanum hoc ille a quodam mendico didicerat, cujus tamen ignarae non sunt pauperes religiosorum virorum domus, in quibus semel tantum quavis hebdomada cibarius panis conficitur, et rarò recens ac mollis apponitur. Exornavit Stephanus urbem Beneventanam aliquibus veteribus monumentis instauratis, sed multo magis praeclari sui ingenii documentis. Is quippe manum jam admoverat conscribendae Beneventanae Historiae, ad quam ornandam, atque omnis generis doctis monumentis confirmandam adivit tabularia et insignem bibliothecam Montis Cassini, Ord. S. Benedicti, lustravit alia permulta Regni Neapolitani oppida, congessitque manipulos et fasces notaminum, ex quibus ille hoc doctissimum opus concinnavit. Et verò haec est secura historiam scribendi ratio, nam ut Polybius ait (19), scriptori historiae ex ipso rerum usu ac tractatione gentis, ejusque monumentis habitus quidam comparandus est, quo ille ad elucubrandum accedere debet. Infiniti sunt eorum errores in topographia, in gentium historia, qui hac regula destituti, nobis quotidie oscitanter et negligenter voluminosos variarum gentium annales obtrudunt. Stephani opus inscribitur: *Istoria della Pontificia Città di Benevento dal Secolo VIII. al Secolo XVIII. divisa in III. parti. Roma dalle Stampe del Salomoni an.* 1763. - 64. - 69. In fronte primi tomi apparet icon Stephani, sed parum correcta, et quae quam longissime a Prototypo abludit. Inscriptio, quam Senatus Beneventanus grati animi ergo Stephano in Curia Senatoria apponi curavit, ea est, quae sequitur.

Stephano Borgiae Patr. Rom. Equ. Hieros. V.S.R. et Guber.
Quod Beneventanis Pontificii aevi antiquitatibus
Felici conatu summa eruditione erutis illustratis
Supremam Patriis decoribus manum spendidis adhibuerit
S.P.Q.B. tanti beneficii memor H.G.A.M.P.
An. M. DCC. LXII.

Ex utraque inscriptione, honori, dignitatique Stephani a praeclaro urbis Beneventanae Senatu in curia Senatoria collocata, jam planè et apertè conficitur, Stephanum cumulatè praestitisse, quod Plinius Caec. Secundus in Panegyirico ad Trajanum, a Rectoribus provinciae postulavit: *Volo ego*, inquit, *qui provinciam rexerit, non tantum codicil-*

(19) Polybius lib. de *Historia*, pag. 95. in opusc. supra citato.

los amicorum, nec urbana conjuratione eblanditas preces, sed decreta civitatum alleget. Non eblanditas laudes, non suspectos falsosque amicorum codicillos, quod fieri solet, Stephanus posita suae provinciae praefectura Romam ad Principem detulit, sed decreta coloniae, decreta Senatus et Urbis Beneventanae, quae eum honesti et aequi regiminis laude, et meritis suis sibi comparato honore, auxit. Praeclara, et integra ejus nominis fama, sed praecipuè sui germani fratris, Joannis Pauli, Equitis Hierosolymitani, bellica virtute accidit, ut Stephanus intra id tempus minori Equestris Ordinis Hierosolymitani cruce insigniretur. Etenim cum anno 1758. insulae Melitae a Turcis hostile periculum impenderet, ad insulam armis, virisque tuendam acciti fuere plerique generosi Equites, inter quos Joannes Paulus Borgia maritimis excursionibus et velitationibus contra Turcas rem ita strenuè gessit, ut ex ejus bellica virtute et merito in ipsum Stephanum gloria et decus transfusum fuerit; quo accidit, ut is anno 1759. ejusdem Ordinis cruce insigniretur. Dulce et jucundum est, germanorum fratrum decore et virtute fulciri: et ex adverso, nihil molestius et acerbius honesto viro accidere potest, quam si ille in domo sua illas labes et probra suis oculis spectare cogatur, quae Augustus Octavius suas *vomicas* et *carcinomata* appellabat. Et vero fuit Stephanus etiam ex hac parte felix, quod ante oculos suos exposita haberet illustria suorum Majorum exempla et facinora, quae eum semper et ubique admonebant, ne is ab avita gloria, et virtute deflecteret. Castis moribus et pietate sua is facile populum Beneventanum in officio continuit, nullaque eum in ea urbe infausta fabula notavit. Non discurrebat ille per domos, alicnis epulis non indulgebat, nocturnas societates, quae Praetorum vitia alunt, et solius temporis terendi gratia coalescere solent, is numquam inibat. *Vigilare* et *diffidere*, duo sunt articuli mentis, in quos Praetores, et urbium Moderatores toto conatu incumbere debent. Et utrique huic articulo Stephanus satisfecit. In dandis responsis diligens et lucidus, in epistolis brevis, in verbo verax, et cautus, in munere sedulus, urbis Beneventanae Proceres exemplo suo ad Reipublicae commoda curanda perduxit, et omnem invidiam a se amovit. Quod si aliquando is ex illis aliquos ad convivium invitarat, in eo hilaris, festivus, et splendidus apparebat, fuitque hoc benevolentiae in eum vinculum, non ventris ingluvies, et mentis gravedo. Praecipue is sibi nobilem familiam *Mosti* amicitia devinxerat, quacum is etiam postea arcta necessitudine conjunctus permansit. Non quod merebantur populi delicta, hoc in eum animadvertit, sed, quod prudentem Praetorem addecet, poenas infra mensuram delicti clementia sua ita temperavit, ut omnes de ejus clementia et aequitate animo convincerentur. Sagax et acer in criminibus inquirendis, mitior in poenis irrogandis fuit.

Hac ratione ille et bonorum conservationi consuluit, et malorum perfidiam compressit; quod est primum et maximum munus boni urbis et provinciae Moderatoris. Cavendum est, inquiebat Stephanus, cavendum est a boum cornubus, et ab ungulis equorum, illi quippe cornu feriunt, equi autem calcibus certant, et ungulis suis hominem prosternunt: sic mali cives societatem impetunt, et non unum duntaxat hominem mactant, sed integras respublicas incendunt, et evertunt. Tritum est illud Terentii, *homo homini lupus*. Quapropter et boum cornua sunt secanda, et feroces equi flagello sunt domandi, et lupi in caveas conjiciendi. Solis, ait Polybius (20) proemiis et suppliciis urbes, regna, ac universim omnis hominum vita solent contineri; et certum est illius urbis excidium, in qua mali cum bonis pari in loco et honore versantur.

CAPUT IV.

Praesulis Stephani Borgiae in Urbem reditus, in eaque gesta Munia.

Rediit Stephanus in Urbem a. MDCCLXIV., postquam ille fere quinquennio Beneventanam provinciam administrasset. Vix ille Urbi pedem intulit, cum illico officio a Secretis apud S. Congregationem Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum admovetur. Quamvis hoc munus ad altiores dignitatum gradus aditum aperiat, id tamen neque molestum, nec operosum est. Quare Stephanus suae litterariae libertati jam restitutus, molitur ingens opus, cui construendo plurimi vectes et ferramenta necessaria erant. Asinum adesse jubet, eique insidendo utramque oram maris, Mediterranei nempe et Adriatici, diligenter lustrat, tabularia plurimarum urbium adit, et excutit, atque ex illis DCCC. monumenta inedita depromit, quibus ille stipatus *Historiam Nauticam Dominationis Pontificiae* in lucem proferre animo constituerat. Vidi ego haec documenta duobus maximis voluminibus comprehensa, quorum uni inscriptum est: *La Spiaggia dell' Adriatico*, alteri *La Spiaggia del Mediterraneo*. Admiratus sum indefessum et indelebilem hominis conatum, quo is ex hoc solo opere ad eum gloriae et laudis apicem conscendisse videbatur, ut etiamsi alia decora viro non accessissent, ex hoc uno illi aeterna memoria, gratiaque debeatur. Omnium ordinum litterati viri vehementer desiderabant, ut Stephanus hoc cedro dignum opus elucu-

(20) Polybius de *Republ.*

braretur. Sed *tunc vivere incipimus*, ut ait Seneca, *cum mori oportet*. Quod, ut aliis plerisque, ita Stephano accidit: qui dum sub ultimos suae vitae dies hujus insignis operis editionem distulit, re infecta, fato cessit. Sunt in hac documentorum collectione typi quamplurimi sigillorum variarum urbium; formulae sponsalium, quibus Venetiarum Duces olim sibi Adriaticum mare despondebant; LXXXVIII. civitatum, ex quibus olim Pontificia ditio constabat, ichnographia; nomina oppidorum ab infesto et inflato mari absumptorum; et profunditas aquarum, quae Pontificia litora et portus alluunt. Haec *ichnographica* tot urbium, portuumque collectio in causa fuisse videtur, quod Stephanus, qui pictor non erat, nihilominus anno insequente 1765. *S. Lucae* in Urbe pictorum celebri academiae adscriptus fuerit, eo sane consilio et ratione, quod is liberales artes, aeque ac ipsas politiores litteras summo studio prosequeretur, et utrisque suam auxiliatricem manum porrigeret. Paulò post in *Philaletum* Anagnensem societatem adscitus fuit, et in ipsa Urbe Theologicae Academiae Censor constitutus est, cui jam ab anno superiori a *Secretis* erat. Anno insequente 1769. praeclarè inchoatae *Beneventanae* Historiae summam manum admovit, vulgavitque tertium illius volumen variis, iisque raris documentis instructum. Sic ille numqnam otio diffluit, neque ingenii sui vires hebescere passus est, sed jam concitato equo calcar adhibebat, ut eò celerius suum litterarium stadium perficeret, et Stephanus ad aliquam novam dignitatem eveheretur. Sunt in Urbe inter dignitatum gradus maxima intervalla, quae nisi Romani Praesules magno conatu et summa laude percurrant, rarò aut tardè ad Cardinalitiam amplitudinem, quae omnium votorum summa esse solet, accedunt. Grave et molestum est nigrum illud, et diuturnum palliolum, quod a Praesulum humeris pendet; atque omnium vota ac desideria eo unicè collineant, ut illud purpurea cardinalitia talari toga quam citissime permutent. Mussasse Stephanum, et secum ipso levia murmura corrosisse certò comperi, postquam ille amplius sexdecim annis S. Congregationi de Propaganda Fide a Secretis esset, et sibi multos Praesules ad Cardinalitiam dignitatem praeferri vidisset. Adeò nigri pallioli jugum, ejusque diuturnus usus displicet, ut aliquando stomachum moveat, et os, animumque ad murmura impellat. Fuit Stephanus anno MDCCLXX. honestissimo munere a *Secretis* apud S. Congr. de Prop. Fide auctus, cui ille se ita accinxit, ut ex eo in illum summa gloria, et tandem cardinalitia amplitudo dimanaverit. Prima illi, et maxima cura fuit, ut amplissimum ejusdem S. Congregationis tabularium excuteret, pervolveret, et omnia non tam ad suum munus rectè obeundum diligenter dispiceret, sed etiam eruditionis causa singula perlustraret. Est hoc quoddam vastissimum mare, in quod omnium gentium religiosa et ecclesiastica negotia confluunt, , ritus, lin-

guae, mores, dubia, responsa, geographicae, et ecclesiasticae relationes, ac omnia alia perferuntur, quibus Christiana Religio in toto, qua late patet, orbe propagatur et servatur. Non desidum et socordium hoc munus est, sed oculi, mens, et cogitatio seriò et diligenter intendenda est, ut et domi gesta dispiciantur, et peregrina dignoscantur, et aequa, eaque prompta responsa expediantur. In hoc ergo munere ingenium et indoles Stephani suum pabulum invenit. Primis illis sex annis, quibus hanc provinciam temperavit, totum se monumentis latinis ecclesiasticis illustrandis,, et variis operibus in lucem proferendis addixit, quorum catalogum nos huic vitae synopsi ad calcem operis adjecimus. Emicat in illis vasta et praeclara viri eruditio ac doctrina, quae praestantiam illius ingenii apud omnes lectores quam maxime ostendit, et commendat. Juvat ex hoc fonte pauca delibare, quae singularem sibi locum vendicant. Refert Stephanus part. III. in praef. ad suam Beneventanam Historiam diptyca graeca antiqua in ligno caelata, in quibus nativitas Christi Servatoris Nostri exhibetur. In his conspicuum est caput *bovis* et *asini*, quae duo animalia Orienti Servatori adstitisse vetustissima prodidit traditio. Haec eadem capita comparent in antiquissimo vitro Musei Borgiani, in quo eadem Christi nativitas exhibetur. Ex quibus monumentis doctissimus vir Abbas *Faustinus Arevalo* in suis ad Caelii Sedulii opera, Romae an. 1794. edita commentriis pag. 307. jam ritè concludit: vanam et infirmam esse illorum scriptorum doctrinam, qui speciosis et futilibus argumentis antiquissimam illam traditionem evertere conati sunt. Profectò *Caelius Sedulius*, *Prudentiusque* gravissimi Christiani Scriptores, qui de duobus animalibus nascenti Christo afflantibus, traditionem referunt, non tam longo temporis et aevi intervallo a primis Christianis distabant, ut eorum traditionem de Christi Servatoris natalium circumstantiis penitus ignorarent. Anno MDCCLXXVII. Stephanus in Orientalia castra transivit. Jam dudum *Seldenus*, ejusque sequaces nonnullas Catholicae Fidei veritates, ritus Sacramentorum, aliaque veteris disciplinae capita, argumentis ex Orientalium libris ritibusque depromptis impetiverant, nactique sunt adversarios doctissimos Eusebium Renaudotium, Lucam Holsteinium, Leonem Allatium, Abrahamum Ecchellensem, utrumque Assemanum, ac deinde Ant. Aug. Georgium (21). Sed sunt adhuc, eruntque complura, quae hi viri non attigerunt, aut non satis enucleatè pertractarunt, in quibus jure recensere possis ritus, doctrinamque Orientalium *de Extrema Unctione*. Ergo, ut Stephanus ex schedis Orientali-

(21) Confer pag. 168. in libro inscripto: *De miraculis S. Coluthi, et Reliquiis Actorum S. Panesniv. Martyrum Thebaica Fragmenta duo*. Romae 1793., ubi Cl. vir Ant. Aug. Georgius Stephani Borgiae opus recoquit.

bus in Tabulario S. Congr. de Prop. Fide asservatis huic rei aliquod lumen affunderet, dissertationem scripsit *De Sacramento Extremae Unctionis apud Orientales*. Hoc opus illicò excepit aliud, quod inscribitur: *Compendium Ordinis Alexandrini illustratum, atque latina lingua donatum, una cum ceteris Orientalium Ecclesiarum de sacra* Elajo *lampade officiis editum*. Ex utroque elucet, Christianos *Coptos* seu *Alexandrinos* quoad substantiam Sacramenti Extremae Unctionis cum Graecis convenire, quamvis in ejus administrationis ritu inter se paululum abludant (22). In omnibus a Stephano editis operibus regnat quidam lucidus rerum ordo, a Cicerone tantopere commendatus, ut sine illo nihil jucundi, nihil perfecti, splendidique tradi possit, sed lectoribus utilissimae quaeque lucubrationes et opera permolesta fiant, dum lucidus rerum ordo abest. Recto itinere is ad praefixum sibi scopum pergit, non quaerit diverticula, non sequitur avia et devia, sed totus in eo est, ut quod is sibi semel in animo proposuit, id evincat. In quo genere peccarunt viri alioquin doctissimi *Georgius* et *Fabricius*, Stephani nostri singulares amici, qui ab se concinnata commentaria decies et ultra mutabant, referciebant, et novis identidem augmentis et ornamentis a praecipuo operis scopo divellebant. Certè de his saepenumero typographum amarissime conqueri audivi, qui dicere solitus erat: a poenis Inferni, et a correctionibus Georgianis ac Fabricianis liberet me Dominus. Accidit nempe aliquando his viris, quod *C. J. Caesari*, de quo Claudianus

. . . quum Gallica vulgo
Praelia jactaret, tacuit Pharsalica Caesar.

Assueverat huic lucido rerum ordini Stephanus sub suo institutore Alexandro Borgia, eumque ille ad extremam usque senectam retinuit. Anno MDCCLXXXIII. Stephanus evulgavit *Fragmentum Copticum ex Actis S. Coluthi Martyris, erutum ex membranis vetustissimis seculi V.* Detectum fuit in Aegypto an. 1778. inter rudera veteris monasterii, quod situm erat prope *Thebas* in superiore Aegypto, quae urbs caput, et metropolis olim Thebaidis fuit. Scriptum est Thebanensi seu *Sahidica* dialecto, atque ex certis indiciis ad exitum seculi IV. refertur. Ipse S. *Coluthus* Martyr patria *Antinoe* oriundus erat, et sub Diocle-

(22) Confer epistolam LXXXV., quae est Abr. Ecchellensis ad Joan Morinum *de Originibus Alexandrinis a Seldeno editis* pag. 463. in libro inscripto: *Antiquitates Ecclesiae Orientalis Clarissimorum virorum*. Londini 1682. Ceterum, non desunt hodie *Seldenitae*, quorum coryphaeus est Professor *Pauli*, qui linguarum Orientalium peritia abutitur, et Sacram Scripturam argutis quidem, sed falsis et stomachosis etymologiis, ac illustrationibus penitus enervat.

tiano sanguinis sui effusione Christum testatus est. Ex doctissima praefatione, quam Stephanus huic fragmento praemisit, jam certa et evidens redditur illa diligentia et vastissima eruditio, quam is in Tabulario S. Congr. de Prop. Fide evolvendo, adhibuit, et ex illo hausit. Accessere praeter *coptica* monumenta, testimonia Patrum, et adminicula ex Graecis, Armenis, Syriacisque Scriptoribus collecta. His primis Orientalibus certaminibus feliciter exactis, Stephanus deinde omnes suas curas in Aegyptum convertit, et sua nobili magnanimitate, ac indefessa diligentia alia quamplurima aegyptiaca manuscripta et monumenta Romam et Velitras advehi curavit; ejusque studium et solertiam imitati sunt alii viri doctissimi (23), qui hodie politiores litteras colunt. Anno MDCCLXXXVIII. Stephanus ab ipso summo Pontifice Pio VI., omnium artium, et litterarum amplissimo fautore provocatus, conscripsit historiam dominationis Sedis Apostolicae in duo Siciliae regna; cujus libri fata infra paulò uberius exponam, dum occasio et causa proponetur, ob quam Stephanus in sacrum Purpuratorum Patrum senatum adscitus fuit. Heic breviter animadvertere necesse est, eum tam acri, provida, et sagaci mente hoc opus concinnasse, tanta denique diligentia Sanctae Sedis jura, et utriusque Siciliae historiam ac monumenta lustrasse, evolvisse atque investigasse, ut is tribus annis, antequam Abbas *Vella*, celebris impostor, maligni litterarii artificii accusatus et convictus, a Regio Siculo Tribunali ad perpetuum carcerem condemnaretur, semper et constanter amicis suis annuntiaverit, Ab. Vellae *Codicem diplomaticum Siciliae*, insignem litterariam imposturam esse (24). Et eventus rem comprobavit, nam anno 1795., absoluto jam examine, *Vella* per viros linguae Arabicae peritos criminis convictus, regio mandato in carcerem conjectus fuit. Ratio Stephani uno conspicuo argumento nitebatur, scilicet *Vellae* codicem diplomaticum omnibus Christianis monumentis romanis, siculis, graecis, latinis, italicis refragari, et adversari (25). Hoc praecipuè tempore ille cum variis litteratis viris,

(23) Horum cura et studio haud ita pridem allatus est ex Abyssinia apochryphus liber *Henoch*, seu *Enochi*, de qno vide Clarîs. *de Sacy* in opusculo inscripto: *Notice du Livre d' Enoch*, in quo is pag. 16. illius excerpta profert. Scriptus est lingua ethyopica, et in canone librorum sacrorum sequitur librum *Job*, in ecclesia Abyssina publicè legi solitus. Tria illius exemplaria ex Abyssinia in Europam attulit Eques *Bruce*, Anglus, quorum duo Londini, unum vero in bibliotheca Imperiali Parisiensi asservàtur.

(24) Inscriptus est hic codex: *Codice diplomatico della Sicilia sotto il governo degli Arabi*. 6. Vol. in 4., et alter: *Codice Normano*. Vide *Relation d' une insigne Imposture Litteraire decouverte dans un Voyage fait en* 1794. *par Mr. le Dr. Hager*. A Erlang 1799.

(25) Ex tantis laboribus Stephanus atrocem pectoris imbecillitatem et corporis maciem

tam indigenis quam exteris amicitiam contraxit, ac mirifice coluit R. P. Ant. Aug. Georgium, R. P. Gabrielem Fabricium, Philippum Angelicum Becchettum, Joan. Christophorum Amadutium, Cajetanum Marinium, Franciscum Ant. Zaccariam, Equitem d' Agincourt, et ex Danis J. G Christianum Adler, Fridericum Munter, Georgium Zoega, ex Orientalibus vero Stephanum Avuntadil, et Jos. Aloysium Assemanum. Tacitus praetereo alios, quorum catalogum infra apponam. Horum ingenia lepidè vellicare et explorare, aliquorum studiis stimulos addere, aliis Musei sui monumenta illustranda tradere, illos festivè vexare, alios, dum occasio se offerebat, amicis potentioribus commendare, multos ad meliorem fortunam promovere, omnes dilaudare illi maxime curae fuit. In societate is semper festivus, comis, facilis et benignus; solus, dum ad tabulam et lucubrationem intentum haberet animum, aliquando asper, durus, et commotior fuit. Quamobrem et famuli, et ejus amici, qui hominis indolem perspectam habebant, eo tempore sibi ab illius accessu et alloquio diligenter cavebant. Dum animus illius aliquo moerore afficiebatur, ad tabularium, ad studia convolabat, et in his, ac eruditione suas delicias quaerebat. Rectè Aristoteles: *Eruditio*, inquit, *inter prospera est ornamentum, inter adversa refugium*; et Plinius Jun. *Gaudio afficitur ille, qui discendo, et contemplando, ipsa intelligentia delectatur*. Transeunt, evanescunt omnia, scientia sola senectute senescit. Hanc esse suam allicem, hac una capi, attrahi, et se permulceri dicebat Stephanus, et in hanc unam ille omne suum aes, curas et conatus conferebat. Collegium Urbanum S. Congr. de Prop. Fide is diligenter, et magna prudentiae laude rexit. Fuit hoc, an. 1627. ab Urbano VIII. P. M., plusquam regia magnificentia, erectum; unde ei Collegii *Urbani* nomen inhaesit. Primum aes contulit Praesul *Joannes B. Vives*, qui pro decem alumnis, cujuscumque gentis aut regionis illi essent, sedem fixit, locavitque. Hujus beneficentiam imitatus est, Cardinalis a *S. Onuphrio*, qui alia duodecim loca pro Iberis et Persis *Jacobitis*, *Melchitis*, *Coptis*, et *Armeniis* fundavit. Accessère deinde aliae aeris summae, quibus in hoc Collegio amplius octuaginta alumni peregrini, ex ultimis Orbis terris deducti, alebantur. His fuere admoti sacrarum scientiarum, et linguarum Orientalium professores, jamque hoc orbis lyceum evasit Orientis quidem erroribus terribile, sed toti, qua late patet, orbi humanitatis, urbanitatis, religionis et scientiarum schola, ex qua per totum orbem dispersi sunt viri celeberrimi,

contraxit, quam ille campestri aere *Ariciae* depulit. *Un male, che pareva il più leggiero nella lista dei mali Romani, sarà l'ultimo a curarsi. Ci vuol pazienza.*

Sic ille anno 1786. scribit ad Ab. *Puliti*, fidum suum a *Secretis* virum, XL. annorum praeclaro famulatu probatum.

et fortissimi fidei athletae . Videbantur in hoc collegio Indi eleganter permixti Europaeis , Persae Batavis , Iberi et Alani Albanis , Turcae Americanis , Copti Scythis , Malabares Affris , Armenii Dalmatis , Latini Graecis , Albi nigris . Omnes istos singulari benevolentia et urbanitate complectebatur Stephanus , et nè quid ad eorum profectum civilem et spiritualem deesset , illuc suas curas , consilia , et cogitationes intendebat . Bibliothecam ejusdem S. Congr. de Prop. Fide peregrinis cimelliis et codicibus instruxit ; alumnos , confecto suorum studiorum curriculo ad patriam redeuntes , multis libris et suis litteris communivit . Anno M. DCC. LXXXV. Nonis Januariis in sacra Collegii aede , Leonardo Antonellio , Clarissimo et amplissimo viro , S. Congr. Praefecto , tres pueri ex insula *Madagascaria* oriundi , curante Stephano per Joan. Carolum *Boschium* S. R. E. Cardinalem sancto baptismate fuere abluti . Sic Stephanus semper et ubique litterarum studia egregiis pietatis operibus temperabat , ac ornabat . Erat enim in illo non illa virtus *stoica* , quae ex operibus suis unicè auram popularem captat , et cui semper aliqua superbiae nota adhaeret , sed fuit virtus *Christiana* , humilis , prompta , benigna , facilis , non austera , non gravi et arroganti supercilio conjuncta . Dicam , quamvis fortasse non ad rem , dicam . Convenit me nuper Philosophus quidam , atque multa eloquentia a me stipem petebat . Perspicere ac explorare volui , an is Stoicus gentilis , an vero Philosophus Christianus esset . Numum unum aereum illi per famulum submisi , nam facile praevidebam , si Stoicus esset , eum stoica arrogantia rejecturum , sin vero Philosophus Christianus , humilitatis et paupertatis suae memorem , eum libenter accepturum . Stoicus fuit , numum rejecit , discessit , evasit . Insunt verae Christianae virtuti suae notae et signa , ac cumprimis humilitas , benignitas , perseverantia , et promptitudo ; atque ex his nos Stephani vitam dijudicamus . Et verò sine humilitate comite parvae et impurae sunt reliquae virtutes , recteque canit Claudianus :

Inquinat egregios adjuncta superbia mores .

CAPUT V.

Stephanus Museum Veliternum Instruit, Scientias et Artes promovet, Rem Christianam in Orbe propagat, et firmat.

Longo illo XVIII. annorum spatio, quibus Stephanus utroque munere a Secretis apud S. Congr. de Prop. Fide, et coetum Virorum Examini Episcoporum in Curia Praesidum functus est, is praecipua sui locupletissimi Musei Veliterni monumenta collegit. Favebant illius studio et diligentiae alumni S. Congr. de Prop. Fide, aliique religiosi viri, qui varias Orbis provincias Fidei dilatandae causa petebant. Horum opera Stephani cymba velis et remis impellebatur. Omnes et singulos Roma discedentes ille festivis sermonibus et lautiis deliniebat, atque ut peregrinorum cimeliorum aliquid mitterent, summis precibus etiam atque etiam expetebat. Hac ratione ille regna, et gentes pervasit, in quae audacia regum arma nondum penetrarunt. Pacificus victor totius orbis, eum non armis sed religionis, pacisque studio peragravit, atque illa gentium monumenta suo Museo intulit, quae armatae manus ab illis avellere non potuerunt. Obnitebantur ejus studio itinerum pericula, maria, montes, regionum immensa distantia conatibus obstabant; et haec quidem dejectum cujuscumque animum a proposito abstrahere poterant, nisi Stephani virilis patientia, labor, sagacitas, et incredibilis diligentia haec omnia impedimenta vicisset. Non aberat aliud asperitatis genus. Multi etiam docti viri Stephani audaciam, stultitiamque ridebant, quòd is ex tam dissitis regionibus *Daemonum*, ut ipsi dicebant, simulacra advehi curaret, et *diabolis* suam curam impenderet. Tanta erat adhuc peregrinae mythologiae, et gentium historiae in Europa ignorantia, et tam dira reconditae philosophiae inscitia, ut plerique peregrina gentium idola et monumenta nihil aliud esse crederent, quam pura et mera daemonum monstra. Vicit etiam hos ridiculos et stomachosos censores Stephani patientia. Postquam is ex Nekkade superioris Aegypti oppido per R. P. Angelum Antonium Bergomatem, Ord. S. Francisci Min. Refor. alumnum, multas membranas copticas, et in his pretiosa S. *Coluthi* M., ac *Evangelii S. Johannis* fragmenta accepisset, apertè majora audere, aleam intrepidè jacere, ac alia insignia monumenta aegyptiaca aere suo, et summa diligentia perquiri, advehique curavit. Numos Imperiales Alexandrinos, urbium et praefecturarum Aegypti, *Arsinoes*, *Antaeopoleos*, *Athribis*, *Bubasti*, *Copti*, *Cabasis*,

Cynopolis, *Diospolis*, *Heliopolis*, *Heptanomis*, *Hypselis*, *Lycopolis*, *Mareotis*, *Mempheos*, *Pelusii*, *Onuphis*, *Sethronis*, aliarumque civitatum quamplurimos, vitra Alexandrina elegantissima, quibus aliquando Aegyptus Romanorum Imperatoribus vectigalia pendebat; gemmas et lapides, opalos, calchedonios, ametystos, achates, cytin, cyanon, smaragdum; marmora, alabastritem, porphyritem, basalten, obsidianum, ophitem, memphitem, elephantinum Syenitem, numidicum, arabicum album; chartam papyraceam, mumias, sycomorum, et si quae sunt alia Naturae artificis dona, ac aegyptiae gentis ornamenta Stephanus *Velitras* devexit (26). R. P. Melchior Carpani, Laudensis, Clericus Reg. S. Pauli aliquos codices *Peguanos*, alios Joseph ab Amato ex regnis *Ava* et *Pegu* Stephano submisit. *Siamenses* D. Boiret ei obtulit. *Sindhustanos et Nepalenses* R. P. Marcus a Tumba Romam attulit (27) *Malabaricos* et *Samcrdamicos* non paucos ego tradidi. Alii

(26) Eminebant olim inter aegyptiacam supellectilem Calices *myrrhini*, ita nuncupati, quod *myrrha* inuncti, delibutique essent. Svetonius in Augusto: *Alexandria capta, nihil sibi praeter unum myrrhinum calicem, ex instrumento regio retinuit* (Augustus). Acris est inter eruditos disputatio, ex quanam materia hi calices sint conflati. *Veltheim* sinensem compositionem esse credit, quam nostri *Speckstein* nuncupant; Cl. Hager silicis genus esse dicit, atque a Sinensibns *Yu* appellari, quorum duae sunt species, nempe *Yu* aquaticus, et *Yu* terrestris. Vide Chap. XVIII. *Des Vases Murrhins* in òpere inscripto: *Description des Medailles Chinoises du Cabinet Imperial de France*, par J. *Hager*, à Paris, An XIII., 1805. in 4. Nondum planè mihi persuasum est, Alexandrinum Calicem, quem sibi Octavius Augustus ex regia Aegyptii supellectile retinuit, sinensium *Yu* esse; praesertim postquam ex Cl. de Schmidt, aliisque didici, Aegyptios jam sub Ptolomaeis mira et varia arte vitra, calices, vasa cristallina ex patria aegyptiaca materia confecisse. Vide de Schmidt, *Opuscula quibus res antiquae aegyptiacae explanantur*. Carolsruhae 1765., pag. 361. et seqq.

(27) Extant in Museo Borgiano aliqui codices *Nepalenses* in charta papyracea et in *òlis panà*, seu palmarum foliis Indica manu descripti. Regni *Nepal* topographiam, appositis ubique urbibus et oppidis, coloribus expressit et delineavit *P. Andreas à Mauro*, Ord. FF. Min. Capucinorum, in ipsa *Nepalensi* valle Fidei Praeco, quae pariter in Museo Borgiano asservatur. Regnum hoc Europaeis impervium et incognitum hactenus non nisi Fidei praeconibus patuit, a quibus illustres Angli, Academiae *Calcuttanae* Socii, illius descriptionem acceperunt et ediderunt, quae adornata fuit a *R. P. Marco a Tumba*, altero Capucino regni *Bethiae* Missionario. Haec eadem descriptio *Nepalensis* Provinciae jam ab anno 1773. in Museo Borgiano asservabatur manuscripta, id est, viginti et amplius annis, antequam eam laudati Angli, a P. Marco acceptam, in publicam lucem producerent. Habet regnum *Nepal* ad Boream illos altos et praeruptos montes a Graecis *Imau*, et ab Indis *Himala* dictos; in his montibus jacet regnum *Himala*, *Cherat*, *Tanau*, *Landargiu*, *Gorca*, *Naucot*, seu *Navacòtta* cum urbibus hujus nominis; ad Ortum montes, qui illud a *Tibeto* separant, ubi urbs *Còtta*, quae accessum praebet in *Tibetum*; ad Austrum est regnum *Macam-*

alios · Hac ratione pedetentim auctum est Veliternum Borgianum Museum admirabili illa dignitate , opibus , et variis monumentorum classibus , quas nos infra apertius uberiusque describemus · Promovit interea Stephanus liberales artes . *Canovam* , sculptorum aevi nostri Principem saepe domi suae , et in statuaria officina invisit · Cl. *Mengs* Pictorum coryphaeo pro pictura acroamata suggessit ; Dominico *Cardellio* , praeclaro juveni , ex veteribus auctoribus graecis et latinis artis statuariae et picturae praecepta explanavit ; *Turchillo Baden* , excellentis ingenii viro , ad meliora Urbis monumenta lustranda et describenda viam aditumque aperuit ; insignes juvenes *Montagni* Gallum , et *Wallich* Danum in sua bibliotheca pictoriae artis operibus exercuit ; alios alia horis subcisivis edocuit · In his Dominicus Cardellius R· P. Fabricii , Ant. Aug· Georgii , Philippi Ang. Becchettii , P. Irenaei Affò , Simonis Assemani , J· Christ· Adler , Georgii Zoegae , Friderici Munter , Cajetani Marini , Hieronymi Tanini , Arnoldi Heeren , Joh. Siebenkees , Josephi Toaldi , Nicolai schoW , aliorumque virorum , qui Museum Borgianum Veliternum suis doctis commentariis illustrarunt , imagines ad vivum ita praeclare depinxit , ut illos quoad omnia vultus lineamenta archetypo simillimos exhibuerit · In quo juvene ego quidem sat acriter observavi , eum illo primo Numinis afflatu , et Naturae impetu , quo hominis faciem in animo comprehenderat , confestim paucis lineamentis ejus effigiem absolvisse , cui si moram , ornamenta , ac correctiones adjiceret , picturae vitia illiniebat : adeò verum est , bonos pictores a natura formari , arte , et exemplis perfici , sed remitente cerebri vi , ac naturae facultate elanguescente , jam nihil praeclari operis producere . Haec formae et nominis monumenta Stephanus in sua bibliotheca ita exposuit , ut omnium oculis paterent , et adventantes ad se amicos illustrium virorum exemplis ad studia excitaret . Admonet unumquemque Claudianus :

pur in montibus : ad Occasum ipsa vallis *Nepal* , quae extra montes habet urbem *Tabacca* , et infra *Bitschiacotta* , *Etonda* , ad ortum regni *Tirut* , quod situm est inter vallem *Nepal* et fluvium *Sardjou* , seu *Dèva* . Ad Boream ad pedes montium *Himala* sita est urbs *Gokarna* , in poematibus Indicis celeberrima , et totius Indiae borealis limes , cui ad Austrum opponitur ultimus Indiae terminus , nempe promontorium *Cangàmuri* , vulgò *Camorin* nuncupatum . Fluvius *Sardjou* seu *Dèva* oritur ex montibus *Himala* , ubi est provincia et urbs *Naucòtt* , seu *Navacòtta* , decurrit ad Austrum , et inflectendo ad Occasum jungitut *Gangi* infra *Ciapra* , quae est regni *Gandoc* urbs . Vallis *Nepalensis* , in qua regnum *Nepal* , alluitur octo fluviis . Praecipuae illius urbes sunt *Ka.mandu* , *Kipur* , *Batagao* , *Gerò* , *Budè* , *Nadè* , *Temi* , *Libu* , *Tasi* , *Paean* , *Bugà* .

. . . . non desinat umquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces, assuesce futurae
Militiae. Latium te confer in aevum.

Jam verò si omnia illorum Eruditorum nomina recenseremus, quibus ille ad litteras stimulos admovit, et ad edenda varia opera incitavit, vix exitum attingeret nostra narratio. Josepho Aloysio Assemano author fuit, ut is suum de *Catholicis seu Patriarchis Chaldaeorum et Nestorianorum* commentarium conscriberet, quod is fatetur pag. VI. in sui operis nuncupatione ad Pium VI. P. M. Stephanus induxit R. P. Philippum Ang. Becchettum, ut is suum opus, *Theoria Terrae* inscriptum, concinnaret, et publicis typis ederet. Ille R. P. Brunio monumenta subministravit ad opera *S. Maximi Taurinensis* secundis et accuratioribus curis evulganda. Ille schediasmata porrexit canonico *Putignano* ad vitam S. *Nicolai a Bario* conscribendam. Ipso impellente Eques Carolus Ant. *Napioni* opusculum edidit de *Lincurio*, quem succini gilvi speciem esse credit, a *Liguria*, seu ab ea Italiae parte sic nuncupatum, quam Padi fluminis aquae alluunt, et quae Graecis Mercatoribus ibi confluentibus *Lincurium* subministrabat. Ipsius consilio et adminiculis praeclarus vir, *Granata* Episcopus *Suessae*, historiam ecclesiasticam urbis *Capuae* adornavit, ediditque. Stephanus *Hieronymum Taninium*, jam senio confectum, induxit, ut numismaticam appendicem annecteret *Bandurio*, atque ab hoc commissa menda castigaret. Is est, qui illustri *Passerio* se ducem praebuit ad *Oscae linguae specimen singulare* romanis typis evulgandum, in quo insigni opere Passerius exhibet Alphabetum *Oscum*, inscriptionem, et multa vetustissima vocabula *Osca*, quae veteri latinae linguae affinitate aliqua conjuncta fuisse demonstrat. Is a celeberrimo *Gorio* veteris hetruscae linguae elementa suo aere comparavit, et primus in Urbe eorum specimen in pagella Eruditis spectandum dedit. *Francisco Cancellierio* monitor et consiliarius fuit in plerisque illius operibus adornandis, eaque, qua pollent, eruditione augendis, quod ille candidè profitetur in suo Elogio *Stephani* Romae et Parmae typis edito. *Florianum Caldanium*, Professorem Patavinum, ille impulit, ut politiores litteras amplecteretur, et excoleret, vel saltem Medicorum variantibus somniis posthaberet. Quod Caldanius diligenter praestitit, vulgavitque varia philologica opuscula, eruditione non mediocri praeclara. Celeberrimo viro, Math. *Norberg*, Londini Gothorum LL. OO. Professori, Stephanus suorum Codicum *Sabaeorum* specimina misit, quibus ille, adjectis aliis monumentis, suum *Codicem Sabaeum* III. voluminibus absolvit. Illustribus viris, *J. Sylvestro de Sacy*, et *D'Ansse de Villoison*, Parisiis, is libenter sua studia impen-

debat, expediebatque ad eos nunc arabicos codices vel libros, nunc graeca monumenta, et commentarios, qui eis ad litteraria opera expoliendа necessarii erant. Denique his numorum aegyptiorum et arabicorum typos, illis codices, aliis libros subministrabat, totusque in eo erat, ut non solum in Italia, sed in universa Europa omnibus litteratis viris opera et consilio prodesset.

Tu civem, patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi: nec tua te moveant, sed publica vota.
Claudianus.

His seculi studiis et profanae sapientiae officiis illa adjicere oportet, quae Stephanus in rei christianae augmentum, et Ecclesiae decus contulit. Quod, ut Lector lucidius perspiciat, pauca heic sunt de S. Congregationis de Prop. Fide instituto commemoranda. Congregatio ista suum principium et prima incunabula debet Gregorio XV. P. M., augmentum verò, multum firmamenti et virium Urbano VIII., qui primus multos doctrina et virtute praeclaros viros in varias Orbis partes Evangelii praedicandi causa expedivit. Reditus et bona ab his Pontificibus eidem addicta, valdè aucta fuere per S. R. E. Cardinales, à *S. Onuphrio*, *Cornaro*, *Galamina*, *Capponi*, *Justiniani*, *Vbaldini*, *Joanne Vives* Praesule, atque a Venerabili viro P. *Dominico a Jesu Maria*, Carmelita Discalceato, qui ex collectitiis elemosynis vigintiduo millia, et sexcentum numos argenti eidem contulit. Componitur illa ex XII. S.R.E. Cardinalibus, uno Praesule, qui officio *a Secretis* fungitur, Rectoribus, et aliis quamplurimis viris, epistolis scribendis, rationibus curandis, et sumptibus faciendis necessariis. Triginta collegia in Europa, alia in Asia hujus S. Congregationis curae suberant, in quibus juvenes ad religionem et morum praecepta erudiebantur, per quos deinde fides Catholica per orbem terrarum diffundebatur. Tacitè praetereo omnia religionis negotia, quae ad hanc S. Congregationem perferuntur, in ea ventilantur, discutiuntur, et definiuntur. Hujus gravissimae machinae prima rota est ille Praesul, qui officio a *Secretis* fungitur, hic enim epistolas, relationes, dubia, querelas excipere, proponere, et inito consilio, responsa dare debet. Ad eum spectat lectissimos Fidei praecones perquirere, et expedire, omnia denique Congregationis negotia continuo et constanti motu agitare, ne torpor, fraus, segnities, et tarditas in tam immenso campo locum habeat, et ex mora et otio rei Christianae periculum et damnum emergat. Accingenda est vestis, omnes animi vires intendi debent, ut ex Urbe et centro fidei totus, qua late patet, Orbis religione, doctrina et virtute crescat, atque amplissime ac honestissime instituatur. Hìc ergo enituere Stephani vires, hìc prae-

cipuus illius labor et opera · Privata et domestica in fide orthodoxa gentium institutio , scholarum et collegiorum cura , linguarum Orientalium ardens studium , Fidei et religionis administrorum prudentissimus delectus , quatuor sunt illi cardines , in quibus praecipuè Propagandae Fidei summa innititur et versatur · Ut Stephanus domesticam et publicam in fide institutionem promoveret , maximè illi curae fuit , ut barbarae gentes *catechismo* imbuerentur · Hinc ipso potissimum impellente typis S· Congr. de Prop. Fide doctrina Christiana *Malabarico* idiomate excusa fuit an· 1772· , cui in lucem proferendae operam navavit R. P. Clemens a Jesu , Carm. Disc· , meus olim in Malabaride laborum socius · Hanc Christianae doctrinae editionem excepit *Peguana* an· 1786· ; *Madagascarensis* eodem anno ; *Barmanica* , auctore et interprete *Cajetano Mantegatio* , Insubre , an· 1785· ; *Lusitana* an. 1775· ; *Ethyopica* anno 1786· ; *Maràshtica* an. 1778· Omnes horum operum auctores Stephanus fovit , vellicavit , et ardenti eorum in Orthodoxam fidem studio vires et alimenta subministravit · Alphabetum *Aethyhopicum* sive *Abyssinum* , *Armenum* , *Barmanum* sive *Bomanum* , *Hebraicum* addito *Samaritano* et *Rabinico* , *Malabaricum* , *Tibetanum* , vetus *Hetruscum* Stephano praesidia et suppetias ferente publicam lucem aspexit . Grammatica linguae *Indostanae* , quae per Imperium Magni *Mogolis* excurrit ; *Maràshticae* , quam gens *Marashtarum* pugnacissima , hodie a ferocibus bellis contra Anglos excitatis percelebris , loquitur (28) ; *Kurdae* , quae veteris Parthiae juga montium occupat , et in *Kurdisthan* locum habet ; et rudimenta linguae *Tibetanae* , a P· Cassiano Beligattio , Maceratensi edita , Stephani nostri curae , et promovendae Religionis studio adscribi debent . Is est , qui jam cardinalitia amplitudine auctus , anno 1804. mihi auctor et dux fuit , ad meam *Vyàcaranam* , seu Samscrdamicae linguae locupletissimam institutionem typis S. Congr. de Prop. Fide in lucem proferendam (29) . Amplissimi Card. Josephi Castelli beneficentia , sed cumprimis Stephano stimulum admovente , accidit , ut anno 1774· Ordo Chaldaicus Missae *Malabaricae* , et Ordo

(28) Dicendum est *Maràshta* , non autem *Marâtta* , etenim haec dictio componitur ex mà , vel *mahà* magnus , et *ràshtra* regnum , ac proinde *Màràshta* sonat *incola mayni regni* .

(29) *Vyàcarana* , seu *locupletissima Linguae Samscrdamicae Institutio* . Romae 1804. Non desunt vulgares Indicae grammaticae ab Anglis concinnatae , sed sacrae et litteralis *Brahmanicae* linguae , *Samscreta* dictae , ab illis nulla adhuc in lucem edita , quae fideliter et amplè praecepta sistat . Spes affulget , Clariss· virum , C. *Gowan* , et W. B. *Martin* , Anglos , qui antiquissimae et venustissimae hujus Linguae studio diligenter incumbunt , nobis meliora et castigatoria exhibituros . Vide *Calcutta Gazzette Extraordinary* , *Wednesday* , *July* 27. 1803.

Chaldaicus Missae *BB. Apostolorum* juxta ritum Ecclesiae Malabaricae nitidis typis ederetur ✓ In quo quidem Ordine tam efficaces , atque tam tenerae reperiuntur lythurgicae orationes , ut etiam duros et vix flexibiles animos emolliant , et lachrymas ex oculis eliciant . Et verò agnoscere et confiteri debent Eruditi viri , dari , et adhuc persistere in Orientalium lythurgicis libris primaevi Christiani fervoris , pietatis , et sanctitatis luculenta vestigia , molliendis nostris animis idonea , et a nobis summa veneratione suscipienda . Silentio praetermitti haud debent innumerae instructiones , decreta , et sanctissima praecepta , quae Stephanus vel typis edita , vel accurata mann descripta in toto orbe terrarum ad promovendam Religionem , aut ad exstirpandos in ea abusus , et superstitiones evellendas sparsit , et promulgavit . Nulla est propemodum orbis natio , apud quam ipsius ingenii , diligentiae , studii et beneficentiae aliquod monumentum non existat . Non effugit ipsius sollicitudinem gens *Sinica* , apud quam ille typis mandari curavit varia S. Congr. de Prop. Fide decreta . P. *Scupoli* excellens opusculum , *Thomae a Kempis* aureus liber *de Imitatione Christi* Stephano incitante in Orientales linguas conversus fuit . Dum ille ab imperitis aut inertibus Missionariis totum quod postulabat , aut praecipiebat , assequi non posset , modico cententus identidem illud *Octavii Augusti* , civis sui , usurpabat : *Contenti simus hoc Catone* . Non omnia vasa munda sunt , et mensae apta . Non omnia mala praecidi et evelli possunt . Datur ubique , sed praesertim apud *Orientales* , inveteratae consuetudini , et praeoccupati animi opinionibus suus locus . Has Stephanus aequo animo ferre novit , et , ut erat vir prudentiae laude insignis , non nisi data occasione correxit . *Nemo minus regnat , quam qui nihil dissimulat* .

In historia Pontificatus Pii VI. P. M. ex variis centonibus consarcinata , atque anno VI. Reipublicae Gallicae , Cisalpinae I. vulgata (30) , pag. 40-41. affertur *Stephani* Rescriptum sub die 9. Aug. 1778. , quod jubente Pio VI. ad *Stanislaum Siestrezneviez a Bohuz* , Episcopum *Mohilovensem* , Russiae albae Delegatum Apostolicum , expeditum fuit . Quamvis in eo nulla sit eidem concessa facultas , supressae *Societatis Jesu* alumnos in eo regno restituendi , attamen is ex plenitudine suae delegatae potestatis , justis , ut ait , de causis , societatis Jesu alumnos in pristinum statum restituit , atque domum , ut ajunt , probationis eisdem concessit , in qua suum ad ordinem recipiendi juvenes tyrocinium ponerent . Data est haec facultas publico Episcopi edicto in *Mohilow* ad fl. *Borystenem* seu *Nieper* , an. 1779. Vera est ampla illa facultas , Religiosorum Ordinum viros in *Russia alba* recipiendi , corrigendi ,

(30) *Storia Imparziale del Papato di Pio VI. Regnante* , Poschiavo , Anno VI. della Republica Francese , e I. della Cisalpina , in 8.

instituendi, et reformandi, de qua loquitur laudatus Episcopus; illius enim meminit ad praedictum an. 1778. Tabularium S. Congr. de Prop. Fide; quin imo jam anno 1775. in Catholicorum matrimonia dirimenda eidem Episcopo peramplae concessae fuere facultates. Sed a vero quam longissime distat, quod quidam putaverunt, *Stephanum* iis litteris Episcopo facultatem concessisse, alumnos Societatis Jesu in coetum, et coenobium cogendi, atque tyrones ad Ordinem suscipiendi. De hac praesumpta facultate nullae extant Stephani litterae; neque ego quidpiam de ea comperi ex illis schedis, quas mihi Stephanus de Catholicorum spirituali statu, atque de Missionibus *Russiae Albae*, *Moschaê*, *Casan*, *Astracan*, et *Ukraniae* Moscoviticae legendas dederat. Quamobrem non Stephano, ejusque operae, sed aliis causis Ordinis Societatis Jesu in Russia restitutio adscribenda est. Ex articulis an. 1769. ab Imperatrice *Catharina* II. Petropoli de Missionibus, in *Jamburg*, *Cronstadt*, *Riga*, et *Sevel* ineundis, publicatis patet: Imperatricem Parrochos Catholicos suis subditis Catholicis praebere et constituere voluisse; sub quo titulo et colore deinde facile admissi et asciti fuere PP. Societatis Jesu. Haec monere oportuit, ut Stephani facta sincera a spuriis et falsis discernantur, et veritas in sua luce constituatur, nam ut canit Claudianus

. . . *lux altissima fati*
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, et abstrusos implorat fama recessus.

Illustrior, et aeterna memoria digna est altera expeditio *Stephani*, qua litteras Apostolicas Clementis XIV. P. M. ad totius Malabariae Regem *Ràma Varmer*, gentilem Principem, an. 1774. directas, tanta animi sui contentione et sollicitudine ad illum perferri curavit, ut ex illis ingens decus et firmitas in ea regione Christiano nomini accesserit. Extradidi ego illas an. 1780. in manus hujus Principis, viri gentili philosophia apprimè exculti. In hac mei muneris functione exceptae fuerunt illae Apostolicae litterae in splendida et illustri nobilium virorum, et regni Procerum corona, cui assidebat Rex in solio; qui, dum litterae palam legerentur, laxatis omnibus in *Tiruvanvandapurensi* arce bellicis tormentis suum summum gaudium populo annuntiavit, atque in ipsum Summum Pontificem luculentum grati honestique animi signum dederat. Religionis Christianae triumphum in ea provincia complevit integerrimus et amplissimus vir, Leonardus Antonellus S. R. E. Cardinalis, qui an. 1790. splendidam immortalis Pii VI. P. M. imaginem ad eumdem Principem misit, quae ab eo incredibili laetitia et plausu excepta fuit. Qua quidem agendi ratione res Christiana inter gentiles ipsos aucta et firmata, ingens Ecclesiae decus et ornamentum attulit. Attigit doctissimè pro more suo haec Christianae Religionis decora Joannes Franciscus Galeani Napione in dissertatione quae inscribitur:

Discorso intorno alle Antichità Cristiane, ed agli Scrittori di esse, letta nell' adunanza pubblica dei Pastori della Dora ai 4. di Gennajo 1805.; quod opusculum, Bononiensis typis dignissimum, mecum peramanter communicavit vir sacra eruditione praeclarus Franciscus Cancellierius Typographii S. Congr. de Prop. Fide Praeses. In hac dissertatione plura sunt, quae Stephani immortalem gloriam et famam, quam is sibi acri et assidua SS. Missionum cura, et summo Christianarum Antiquitatum studio comparavit, digna laude commendant.

Iuvat heic aliquos ex iis titulis exscribere, quibus Stephanum Ordines *Veliterni* exornarunt, dum XI. Kal. Februarias M. DCCC. V. Eidem in sacra S. Clementis P. et M. Basilica justa funebria persolverunt; quamvis enim heic non sit eorum locus, quia tamen nucleum continent eorum, quae de Stephano jam diximus, et infra dicturi sumus, narrationem nostram egregiè confirmant.

Tit. III. *Litterarum vel ab ephebis maxime cupido, abdita quarum monimenta in apricum protulit vernante adhuc adolescentia: claros propterea a Mazzucchellio inter Italiae Scriptores numeratus; insignibus Orbis qua late patet vetustatis reliquiis diligentia summa comparatis, earumdem Scrutatori solertissimo, ingeniorum praesidio et exemplo, cujus eruditioni nationum vel remotissimarum consensu decus erit sine morte mansurum.*

Tit. IV. *Effuso in patriam amore, quod ejus dignitatem ac jura Patronus vigilantissimus strenuè asseruerit, Veliternam Basilicam donariis exornaverit opulentis, Volscorum Sodalium coetui nomen ac famam fecerit immortalem, ad ipsorum ingenia optimis artibus imbuenda impensa sua, Museo paternis in aedibus constituto, miranda veterum supellectile referto, quotidiana advenarum frequentia celebrato, cui nobilitando, excolendoque probata virorum praestantium desudavit industria, aeterno Velitrarum grati animi incitamento in tantum patriae gloriae propagatorem.*

Tit. V. *Scutat. II.* M. CCCC. *N. Veliternae Basilicae hac lege attributis, ut e Canonicorum Collegio pro ipsius collegii arbitrio quisque selectus ex annuo legati vectigali quotide)-(III. consequeretur, in cella Mariae Sanctae Gratiarum Sacrum faciens; statisque temporibus Litanias Deiparae Virginis recitans Sacro absoluto, in suos Cives amoris et munificentiae solidae pietatis argumento in opiferam Patronam Caelestem.*

Tit. VI. *Apostolicae Sedis majestati tuendae, juribusque vindicandis, cupiditatibus intacto, periculis interrito auctori, e cujus singulari doctrina ac sollicitudine uberrimos cepit fructus vel inter barbaras gentes Catholica Religio. Qui postquam S. Cons. Christiano nomini propagando optimis firmasset institutis, omnem fere substantiam suam*

ad illud pertinere testamento jussit ; vir Christi gloriam tantum animo versans, cui nova dum parat incrementa Caelitum ad sedes placido emigravit exitu , nulli quam Ecclesiae flebilior , exstinctum sui columen graviter conquerenti .

Sacerdotio initiatus fuit Stephanus anno 1765. die XXV. Martii, quod eidem contulit S. R. E. Cardinalis *de Rubeis* in sacello suo domestico in aedibus *Raggii* in via cursus,ad quod suscipiendum Stephanus se praeparaverat maxima animi devotione peractis antea , ut ajunt , spiritualibus exercitiis in domo probationis Patrum Missionis , annexa ecclesiae SS. Joannis et Pauli in monte Caelio . Hoc tempore is sibi aliquos familiares iu famulatum adscivit , qui eidem per annos quadraginta suum continuum obsequium et servitutem praestiterunt . Ex qua si in illos magna laus dimanat , non minor attribuenda est Stephano gloria , quod is prudentia et moderatione sua eosdem ipsos aequo animo *ferre* , aut *corrigere* noverit. Hoc fecit *Socrates* in *Xantippe* sua (31) et hoc ipsum executus est Stephanus in Familiaribus et amicis suis . Pecuniam , loculosve is numquam secum tenebat , et saepe accidit in itinere , ut dum aliqui sumptus faciendi essent , eam vel a me , vel ab aliquo ex suis Familiaribus mutuum summeret , quam deinde domi reddebat . Testis luculentus hujus rei est egregius vir Franciscus Cancellierius , qui cum illo in gallicano itinere constitutus in monte *Cenisio* eidem Stephano duos numos aureos mutuum dedit . En ipsius Francisci verba : *Alli 15. Nov.* (nempe 1804.) *Si passò il Mont-Cenis . Io smontai prima di Lui dalla mia Sedia . Onde mi trovai ad aprirgli la Portantina , e a dargli il braccio per uscirne . Egli ridendo mi disse , che godeva di tornare a vedere il Cielo . Poi soggiungendomi , che non portava mai danaro indosso , e che allora non avea nessuno de' suoi Familiari , mi chiese in prestito due Zecchini , che regalò agli otto Portantini , che lo aveano condotto* . Loculorum loco in pera regulam *S. Benedicti* semper secum ferebat , ex cujus instituto et norma nec pecuniam , neque horologium manuale unquam secum portasse videtur . Praeter opera litteraria a nobis jam recensita edidit epistolam apologeticam ad vindicias suae historiae de veteri urbe *Tadino* nuncupata , directam ad P. Maurum *Sarti* Camaldulensem , quae edita fuit *Pisauri* typis *Gavellianis* a. 1758. ; item epistolam nomine Academiae Firmanae , directam ad P. *Philippum Gigli* , Ord. PP. Min. Capucinorum , Provinciae Firmanae moderatorem , quae inserta est litteris ejusdem R. Patris, editis Firmii apud *Bolis* an. 1756. Romae an. 1757. edita fuit illius Oratio de *Ascensione Domini* , quam supra laudavimus . Venetiis in lucem emissa fuisse fertur illius Dissertatio de *Visionibus Veterum* , insertaque opusculis D. Felicis . Silentio praetereo alias illius dissertationes manuscriptas,de quibus non satis certa lux et cognitio mihi affulsit.

(31) Aulus Gellius lib. 1. in *Noctibus Atticis* , pag. 33. edit. Ven.

FINIS PARTIS PRIMAE.

PARS II.

CAPUT I.

Stephanus Borgia in numerum Patrum purpuratorum adlectus. Primi ab eo exantlati labores. In morbum incidit. Hospitia puerorum, quos projectitios *vocant, invisit.*

Anno MDCCLXXXIX. die XXX. Martii Stephanus Borgia a Pio VI., indulgentissimo Principe, in Sacrum Patrum Purpuratorum Senatum cooptatus fuit. Quamvis hoc honoris et dignitatis augmentum excelso et generoso Pii VI. animo sit adscribendum, attamen ne Lector noster arbitretur, Stephanum in Pontificis gratiam incidisse, non autem eam promeritum fuisse, rationem praeclari hujus facinoris juvat expedire. Antiquo directi dominii jure S. Romana Sedes regnum Neapolitanum sibi vectigale habet, quod jus pientissimi Siciliae Reges in Romano Pontifice agnoscentes, plurium annorum decursu tributi pensione confirmarunt. Ex more veteri pridie festae lucis S. Petri Apostoli, quo die omnes vectigalibus obnoxii ad Vaticanam Basilicam sua tributa deferunt, etiam Siciliae Reges septem mille ducatos, et deinde insignem tolutarium equum mittebant. Meminere hujus consuetudinis non solum Scriptores Catholici, sed ipsi etiam accurati politicarum rerum investigatores heterodoxi (1). Verum postquam labente seculo XVIII. perversa sophistarum doctrina mortalium mentem agitare coepit, novarum opinionum scabies etiam in Italia late et celeriter propagata fuit. Negarunt aliqui siculi scriptores Summo Pontifici in Siciliae regnum jus esse, et contra omnem vetustatis memoriam annua illa tributi pensio suspensa fuit; atque albus ille graduarius equus, qui ingenti omnium ordinum frequentia et plausu Vaticanum ingredi solitus erat, summo Populi Romani moerore disparuit. Ergo ad S. Sedis, et Summi Pontificis jura vindicanda Stephanus Borgia jam anno 1788. calamum acuit, et eximium illud opus elucubratus est, quod italico sermone in-

(1) Videsis Christiani Funcii *Quadripartitum Historico-Politicum Orbem*, edit. Lips. 1676., tom. 1. Reg. Hisp. C. I. Erot. LXVIII., p. 340-341., item Georgii Hornii *Orbem Politicum*, Lips. 1668. par. II. §. IX., p. 7.

scribitur : *Breve Istoria del Dominio Temporale della S. Sede Apostolica nelle due Sicilie*, Roma 1788., cui praelusit docta dissertatione, in qua luculenter demonstrat, Temporale Dominium S. Sedi necessarium et perutile esse. Evulgato Stephani libro, non exiguo animi gaudio perfusi sunt omnes veritatis cultores, crevitque in eum Populi Romani spes, amor, et veneratio, qui ab illo temporis momento in eo fiduciam suam collocavit, totumque se illius fidei tradidit. Non fugit hoc eximium illum Pontificem Pium VI., quare vertente anno tota plaudente Urbe Stephanum nostrum in S. R. E. Cardinalium numerum adscivit. Biennio vix exacto tanta scripturientium auctorum pestis, tam tetra liberculorum tempestas contra Stephani opus prorupit, ut apud multos causa victus fuisse videri potuerit. Quare ut hanc luem, vacillantemque de se opinionem corrigeret, et amoveret, viginti tribus obscuri nominis scriptoribus, qui illius librum diris et dicteriis potius, quam firmis et expolitis argumentis impetivere, insigni illo et cedro digno opere confutavit, cujus lemma est : *Difesa del Dominio Temporale della S. Sede Apostolica nelle due Sicilie, in Risposta alle Scritture pubblicate in contrario*, Roma 1791. In hoc eximio doctrinae ecclesiasticae promptuario tanta enitet Stephani jurium S. Sedis peritia, tam ingens affluit veterum monumentorum copia et delectus, tam preclara elucet propugnatae quaestionis veritas et perspicuitas, ut in hoc argumento nihil aliud desiderari possit. In hac litteraria pugna victi campo cesserunt, et exterriti abjecto calamo obmutuerunt. Quin immo sunt aliqui ex his Siculis Velitibus, qui perlecto Stephani opere cum eo in gratiam redire studuerunt, quos ille, ut erat vir animo excelso, et ab omni odio alieno, libenter et amice complexus est, conjunctisque jam voluntatibus sibi beneficiis demereri non destitit. Non multo post, dum adhuc in monte Quirinali in aedibus Cambiasiis habitaret, in gravissimum morbum incidit, ex quo sola Numinis clementia evasit. Acceperat ille a natura corpus optime instructum, ossibus et nervis apprime praeditum, sed pectus adeo imbecillum, ut modica illuvie, aut exiguo rigidioris aeris afflatu extemplo morbum contraheret. Cujus rei causa, cum in Cambiasia domo hortus adsit conclavibus contiguus et aquis affluens, ex eo in tabularium, in quo is lucubrabat, humidus aer ferebatur, qui lucubrantis pectus invasit, et pulmonem raritate quadam et spongiae simili mollitudine praeditum, adeo constrinxit, accenditque, ut inde vehementissima febris fuerit subsecuta. Huic depellendae maximam navavit operam ejusdem valetudinis moderator *de Maximis*, vir artis medicae apprimè peritus, sed tanta fuit atrocitas morbi, ut nulli medicamento cederet. Solent in simili eventu servuli, et incauti amici valde mentiri, et vim morbi assentatione, vana spe, verborumque ambagibus diminuere, atque aegro, non ferenda benevo-

lentia, multum illudere. Sed non ita mihi, qui decumbenti semper praesens aderam, agendum esse videbatur. Quamobrem his pectoris angustiis detentum, et summa vi morbi aestuantem amicum admonui, ut elutis, si quas haberet, animi sordibus, e proxima S. Sylvestri parrochia sacro se viatico muniret. Meo consilio lubens assensit, et illucescente die publico apparatu et summa animi devotione ex veteri ecclesiae ritu S. Synaxim sumpsit. Vigesima die remittentis morbi rumore per Urbem sparso, incredibilis omnium ordinum laetitia personavit. Vix aliquis erat ex Urbis Optimatibus, qui eum illo tempore non convenerit, et de tanto vitae periculo feliciter depulso, ipsi collaetatus non sit. Non latuere haec Pium VI. P. M., qui, ut et ipse de recuperata viri valetudine aliquod gaudii indicium ederet, post obitum Francisci Cardinalis de Carrara, Bergomatis, Stephano Borgiae munus contulit hospitia, in quibus projectitii pueri puellaeque aluntur, inspiciendi, regendique. Dictu perdifficile est, quanta cura et prudentia, quove christianae reipublicae bono Cardinalis noster hoc suum officium obierit. *Perusiae* feminas aliquas, puellarum in illo hospitio rectrices, et perversas educatrices, amovit, expulit, & in alia loca transferri curavit. *Viterbii* in simili domo, quae jam ingentem puellarum numerum vix continere poterat, multas ex iisdem in matrimonium collocavit, ad agros excolendos permovit, novisque projectitiis infantibus inferendis locum dedit. *Tuderti* ob prioris domus angustias, assentiente Summo Pontifice, monasterium S. *Clarae* in monte *Christi* suppressit; et dispersas ac palantes puellas in illud intulit, earum numerum auxit, textrinis addixit, ac lanae depectendae, telaeque attexendae artem edocuit. *Spoleti*, ubi elaborata, politaque bombyx ad textilia puellarum opera deficiebat, crudi et impexi serici magnam copiam coemit, eoque per puellarum classes distributo, omnis generis bombycinum textum promovit. *Narniae* insigne lanificium instituit, in quo aliquae netrices, a pueris aedibus separatae, vel penso ad colum applicato, vel girgillo fila trahebant, aliae ex alabaro glomos glomerabant, et iterum aliae stamini tramam subtexentes, lintea, vel leviores pannos conficiebant. Pueri ex adverso, lana a lanariis depexa et carminata, pannos rudiores texebant, quos levidenses fullo constipabat, et deinde tinctores in cortina tingebant. His omnibus Stephanus Cardinalis certas ex regula S. Benedicti depromptas constitutiones et praecepta praescripsit, quibus tota illa puerorum colluvies inter honestatis, laboris, reverentiae, et divini timoris limites contineretur. Hac ratione vir ille non tantum christianae puerorum educationi sapienter prospexit, sed etiam civili Reipubliae bono consuluit, dum ille tot derelictos a parentibus filios, artibus bono communi proficuis instruxit. Quid dicam de pusillis infantibus collectitiis, quos ille vicatim

bonis nutricibus tradidit, et semper velut suos carissimos filios paterno affectu complexus est? Quid de puellis quamplurimis, quas constitutis per urbes et agros quaesitoribus, et numerata dote agricolis in matrimonium collocavit? In qua re illud est singulare hujus viri facinus, quod senescentibus, et invenustis puellis, a quibus ipsi rudes et asperi rustici abhorrebant, duplicem dotem constituerit, ut viros ad eas sibi despondendas alliceret. Hac agendi ratione post exiguum trium annorum decursum haec publicae charitatis hospitia, ingenti puerorum puellarumque numero et aere alieno oppressa, Stephanus Borgia pristino statui et gloriae restituit, redditibus auxit, et summopere dilatavit. Fugit hoc illos Scriptores, qui nobis hujus viri elogium certatim exhibuere, illi enim ejus doctrinam eruditionemque celebrant, animi autem in hoc viro benefici et misericordis penitus obliti, sine palato et corde ejus gesta perscripserunt. Non in una eruditione stat Stephani Borgiae virtus, sed eadem ampla, in humanitatis et caritatis studia prompta et velox, in proximi calamitates misericors, non invida, nec certis limitibus coarctata fuit. Enim vero si ille in virorum literatorum coetu excelluit, si ille in circulis et colloquiis verbo, doctrina, et mentis acumine summus fuit, non minus is inter projectitios pueros dulce benefici *Patris* nomen emeruit. Sed jam relinquenda sunt nobis haec florida caritatis prata, et in igneum belli campum trepidans et timida narratio nostra transire cogitur.

CAPUT II.

Stephani Cardinalis Civiles Labores et Aerumnae.

Gliscentibus anno MDCCICVII. inter Pium VI. Summum Pontificem, et Gallici exercitus in Italia duces animorum dissidiis, occisoque populari seditione in Urbe die XXVII. Decembris Gallico Tribuno *Duphaut*, graves secuti sunt Populi Romani motus. Perquam difficile fuit in officio continere tot hominum millia in Urbe sermonum avida, et partium studio inter se divisa. Celebrabantur nocturna conventicula, et illucescente die audaciores veteris regiminis pertaesi, palam continuas excitabant turbas, socios ad *regenerationem* Urbis et Orbis, ut ipsi dicebant, invitantes, re autem vera rebellionem in Principem excientes. Alii virtutis vultum induerant, et speciosis obsequiis, blandis sermonibus, falsisque rationibus certantes, incautos in idem exitium pertrahere tentabant. Ubique motus, pavor, et diffidentia, tectaeque atrocitatis principia gliscebant. Procerum complures, quibus adhuc integra erat in Principem fides, serpentis mali contagionem militum globo cohibendam esse dictitabant. Sed modicum, aut pene nihil praesidii in

milite esse solet, dum furit populus, et audacium animos jam nulla retardat S. Ordinis et Capitis veneratio. Ergo in hoc rerum turbine, in hac Urbis et patriae procella Pius VI. P. M. Stephano Borgiae Cardinali totius Urbis moderationem commisit, ut, qui ad subita consilia semper instructum haberet animum, impigram et fidelem in Principem, et in omnes Ordines navaret operam. Ea ille perfunctus est ad diem XV. Februarii anni sequentis, qua luce plenum totius Urbis et ditionis S. Petri gubernium in Gallos transivit. Dici haud potest, quanta sedulitate, quanta circumspectione, et prudentiae laude Stephanus hoc sibi collatum munus obierit. Conveniebant in aedibus illius etiam alii duo purpurati Patres, qui jussu ejusdem Summi Pontificis illum suis consiliis et opera adjuvarent. Huc pontificiae cohortis centuriones, Tribuni Populi Romani, lictorumque coriphaei coibant, sive ut foris gesta annuntiarent, sive ut ad publicam Urbis salutem nova mandata exciperent. Ergo prima Stephano cura, ut horum animos sibi arcte devinciret, sperans fore, ut per eos malorum hominum coerceret licentiam, temere gestientium frangeret audaciam, et totam a procellis remotam, tranquillamque contineret Urbem. Itaque muneribus et congiariis demulcet illorum animos, vigiles, excubiasque apte per Urbis vicos distribuit, per exploratores domos plateasque obsidet, atque totus in eam curam incumbit, ut prima nascentis emotionis semina in suo exordio suffocentur et extinguantur. Interea ipse assiduus est in privatorum causis audiendis, benignus et affabilis in promiscuis salutationibus reddendis, diligens et accuratus in exploratorum et centurionum denuntiationibus excipiendis, quas non per famulos ad se deferri voluit, sed ipse coram et praesens justa trutina expendebat. Omni illo tempore, quo hoc munus gessit, numquam solutis vestibus dormivit, sed interula et talari pallio semper retento durum stratum conscendit, in quo ita recubabat, ut quavis noctis hora apparitores, tabellarios, exploratores, internuntiosque purgatis auribus exciperet, et statim iterum expediret. Quod si aliquando viri graves eum adibant, eis obviam factus, more *Marci Aurelii* dextram placide dabat, atque in suum conclave eos perducebat (2). Tanta viri urbanitas, tam intensa et accurata sollicitudo per omnes Urbis vicos diffusa, excitatos quorumdam popularium motus facile compressit, et ne alii exurgerent, vehementer cavit. Accedebat publica opinio, qua Stephanus Borgia in

(2) Herodianus *hist. lib.* 1. de Marco Aurelio Antonino: παρεῖχεδὲ καὶ τοῖς ἀρχομενοις ἑαυτὸν ἐπιεικῆ, καὶ μέτριον βασιλέα τȣς τε προσίοντας δεξιȣ́μενος, Κωλύων τε τȣ̀ς περὶ αὐτὸν δορυφόρȣς ἀποσοβεῖν τȣ̀ς ἔντυγ χάνοντας. *Adeo vero civilem se se et commodum omnibus Principem praestabat, ut adeuntium cuivis dextram placide daret, neminemque a suis custodibus prohiberi aditu pateretur.*

Principem et patriam fidelis, justitiae custos, Populique Romani patronus et defensor vulgò ferebatur. Quae quidem opinio tam eximii Urbis moderatoris auctoritatem ita auxit, et confirmavit, ut mali vix hiscere auderent, boni totam spem suam, animique quietem in illius praesidio et tutela collocarent. Profecto fateantur est necesse ipsi gallici exercitus duces, qui tunc in urbe versabantur, se XV. Februarii anno MDCCICVIII., dum arbor ita dictae *Libertatis* in Capitolio erecta fuit, Romam non civilibus seditionibus laceram, non civium aut hostium caedibus foedatam, non latrociniis obnoxiam, gubernandam suscepisse, sed tranquillam et publicae securitatis plenam (3). Hoc publicum et praeclarum beneficium et ipsi Galli, et Romani cives Stephano Cardinali referre debent, neque e memoria dilabi sinent singularem viri φιλανθρωπίαν, ac prefectum civilis virtutis exemplar. Ab hoc temporis puncto, quo Roma spe libertatis sollicitata, excusso Summi Pontificis imperio, pernicioso populari regimini adhaesit, nulla amplius in urbe fides, nulla honesta societas, nullus pudor, sed ubique certa pestis et pernicies saevire coepit. Compositum jusjurandi carmen, quo sacer juxta ac profanus ordo sancte polliceri debebat odium in monarchicum regimen, et obtemperaturos se nemini, praeter nuper constitutae Romanae populari Reipublicae. Amoti ab officiis veteris regiminis asseclae, et abdicatis dubiae in populum fidei Senatoribus, novi adlecti fuere Consules, Tribuni, Ediles. Veterem e ruderibus suis surexisse Romam putasses, nisi virtus abfuisset, sine qua nulla honesta societas, nulla certa Respublica exoriri, et diu stare potest. Quid enim, teste S. Augustino, sunt regna sine justitia, nisi mera latrocinia? Sed lugubri velo haec tristia tempora contegamus, ne ipsa rei memoria animi irritentur, et quae jam doluere vulnera, iterum recrudescant. Die XX. Februarii eodem anno Pius VI. P. M. Roma excessit. Insequente Martio, VIII. Mensis luce, sex S. R. E. Cardinales, inter quos Stephanus noster, hostili audacia praeter expectationem et quasi ex insidiis circumdati, et comprehensi, Romae in angustas puellarum, quas *Conversas* vocant, aedes destrusi, biduo ingenti Urbis pavore, et magna captorum molestia detenti fuere. Sane haec cruda agendi ratio ipsum Stephanum Borgiam, virum alioquin eximia animi fortitudine praeditum, primo delato nuncio non parum conturbavit, nam cum eadem die hora X., matutina ego illum praemonuissem, purpuratos Ecclesiae Patres in carceres abripiendos esse, levem quemdam sed indubium rumorem per urbem serpere, is perterritus, et obstupefactus oculis in me conversis inquit: Quodnam meum peccatum est, ut in carcerem et custo-

(3) Huic publicae Urbis tranquillitati asserendae ter mille numos argenti ex aerario pontificio se impedisse dixit ipse Stephanus Cardinalis.

diam abripiar? Tum paulisper composito animo ait: *Ibimus*. Hora III. post meridiem vulgarem currum conscendere jussus, nihil praeter unum veterem numum, quem pridie pro suo Museo Veliterno comparaverat, secum sumpsit, quo in peram misso, apparitorem secutus, in laudatis aedibus militum custodiae traditus fuit.

Adivi ego sub vesperum illum locum, in quo sex illi purpurati Patres sub militum globo detinebantur; sed cum obnitente centurione Stephanum alloqui negatum fuisset, *Amarasinhae* folium, quod eo die ex typographico prelo in lucem prodierat, eidem per centurionem submisi; ad quod vir, posthabitis suis aliena curandi studiosus, exemplò respondit (4). Biduo in carcere cum sociis exacto, die X. Martii sub noctem omnes vehiculis impositi, Centumcellas delati in PP. Praedicatorum coenobium conjecti fuerunt; atque ex hoc tempore mihi jam non licuit illius alloquio perfrui, aut rerum gestarum testem esse: In hanc obscuram PP. Praedicatorum domum traducti fuere etiam alii multi E. R. praesules, praesertim illi, qui in priori prontificio regimine aliquo publico munere fungebantur. Horum praeclara nomina recenset Angelus Nuzzi, et ipse ex detentis unus, olim Reatis ac Pediluci in Terris S. Petri Praeses, et nunc S. Congr. discip. Reg. a Secretis (5). Omnes isti per dormitoria et squalida cubilia fuere agglomerati, et plerique eorum more militari sine tegetibus et stragulis dormiebant. Nemo has injurias fortius feliciusque tulit Stephano Cardinale, is quippe, dum alii inter spem et metum fluctuabant, et animi moerore conficiebantur, velut alter Fabricius, aut Marcus Claudius Marcellus, mente serena et inconcussa loci, lecti, et mensae incommoda superat et perfert; quin immo illa sibi ingenita hilaritate et lepore socios erigit, solatur, atque ad malorum tolerantiam exhortatur. Prodiderunt hoc de eo ipsi aerumnarum socii, aliique viri, qui hujus anni fata perscripserunt (6). Binas ego ex hoc ergastulo ab eo accepi epistolas, quibus me monebat, ut me Centumcellas conferrem, cum eo, quo fortuna volet, iter arrepturus: et ivissem, si statim Roma excedere licuisset.

(4) Dalle Convertite, 8. Marzo 1798. Il cittadino Cardinale Borgia abbraccia il caro cittadino Paolino, Carmelitano Scalzo, e dalle Convertite ha scritto al cittadino Fulgoni di sollecitare la stampa, della quale hà ricevuto con piacere il primo foglio.

(5) Videsis pag. 308. in opere inscripto: SS D.N. D. P. PII VI. ad Galliarum Ecclesias Rescripta collecta et aucta ab H. L. Hulot Presbytero Rhemensi. Patavii 1799.

(6) Confer: *Lettera di A. L. Nuzzi, Prelato Domestico di S. S., e Governatore di Rieti*, Padova 1798. pref. p. XXII., e XXIII., item: *Memorie Storiche sulle Principali Cagioni e Circostanze della Riv. di Roma*. 1800., pag. 251. „ Costretti a dor „ mire ammucchiati nelle stanze, abban„ donati da tutti, ma animati dal Card. „ Borgia, superiore a tanti disagi mer„ cè i suoi singolari talenti. „

Verum omnes illi die XXVIII. Martii in libertatem asserti fuerunt, eo pacto, ut procul a S. Petri ditionibus abessent, et maris iter capesserent. Hac pactione accepta, obviis quibusque cymbis sine mora conductis, e portu in altum provehuntur, aliis ad Siciliae oras, aliis in Hetruriae littora cursum dirigentibus. Hujus itineris occasione, injecta necessitatis manu, Stephanus Cardinalis non paucam Romani sui conclavis supellectilem divendi curavit, peculiumque ex venditione exactum sibi submitti voluit, salvo et incolumi semper persistente suo Museo Veliterno, quod ut sartum tectumque conservaret, nihil non intentatum reliquit.

CAPUT III.

Stephanus Cardinalis Patavii.

Postquam Stephanus Borgia inflati maris fluctibus satis jactatus fuisset, et levi sua cymba saepe ex alto in littora propulsus vitae periculum evasisset, Liburni portum tenuit, ibique cum suis tribus comitibus naviculam ad terram subdùxit. Novum et in solitum hospitem amici summa laetitia exceperunt, inter quos praecipue numerandi sunt quidam mercatores Dani, qui viro numorum praesidio nudo, in urbe ob summam hominum colluviem maximo rerum pretio laborante, auri argentique subsidia sponte offerebant. Verum is dignitati suae melius se consulere arbitrabatur, si nihil summeret, sperans fore, ut CCC. illi argentei romani numi, quos Centumcellis a suae domus curatore submissos acceperat, suo Patavino itineri perficiendo sufficerent. Quare confestim Florentiam petit, in quam ornatissimam urbem convenerant etiam alii ejus adversae fortunae socii, quibus invisendis totum se dedit, depulitque illam animi aegritudinem, quam illi tam arduum et insolitum iter indiderat. Heic ille celeberrimum Magni Hetruriae Ducis Ferdinandi Austriaci Museum saepius adivit, et cum eximio illo Principe de veterum monumentorum copia et delectu, atque variis artis operibus in Museo Borgiano asservatis blanda verborum concertatione disputavit. Non effugerunt ejus praesentiam et doctam curiositatem publicae ac privatae hujus urbis bibliothecae, non amici, non litterati viri, quibus illa civitas semper apprimè instructa est. Florentia Bononiam perexit, et trajecto Pado Rhodigium petiit, in quo itinere, vir maxima veneratione dignus, gravissima opprobria et vexationes perpessus est. Exultabat illis diebus ea Italiae pars portentoso adeptae libertatis commento, et plerique sibi arrogabant licentiam quidlibet impunè faciendi. Sacri ac profani Procerum Ordines ad publica ludibria destinati esse videbantur, et flagitiosi homines semper

ad irrogandas ignominias prompti, in bonos et honestos viros omne suum odium et furorem effundebant. Nulla ibi Sacri Senatus veneratio, quin immo audaciae thematibus ipsa sacrosancta sceptra fuere lacessita. In tam pervagata libertatis insania, in hoc pernicioso multorum hominum sensu, per varios militum globos, et vias calentium adhuc animorum tumultuoso impetu infestas Stephano transeundum erat, ut suis votis petitum attingeret Rhodigium. Quare quamvis ille sub Abbatis Borgiae nomine latere voluerit, et summa cum modestia ac prudentia iter illud conficere studuerit, attamen perfidorum hominum ludibria non effugit. Ad Padi fluminis trajectum a concita homuncionum faece convitiis exagitatus fuit, et ad Ferrariam ruri ab audaci et pecuniae avido milite per breve temporis spatium in quodam gurgustio detentus est, donec persoluto litro ferocem militem placasset. In multis diversoriis miser cibus, sordidum cubile, lacerae lecti lodices, et non appetenda stragula nauseam et stomachum movebant: levi aut pene nullo cibo sumpto in duro lecto cubandum erat. Quamvis haec omnia, ab honesta comitum suorum fide et narratione petita, sua certitudine fulciantur, neque in dubium revocari valeant, attamen dum Stephanus Cardinalis de suis itineris aerumnis loquebatur, aut ab aliquo ex amicis interrogationem subibat de toleratis calamitatibus, ipse semper respondebat: se ubique liberaliter et indulgenter habitum fuisse. Scilicet adversae fortunae casibus jam probè exercitato, eximiae fortitudinis augmentum accesserat, induitque animus illius illam duritiam et patientiam virilem, quae varia vitae incommoda et vicissitudines libenter suffert, et dum a Divino Numine sibi immissas fuisse considerat, de illis vehementer gaudet. Dignum est hoc Supremo omnium rerum Moderatore spectaculum, qui dum suomet operi mire intentus est, fortes animat, perficit, ac tandem digna virtuti corona exornat. Hoc proemium tulit Stephani purgata virtus, neque enim ab illo temporis momento amplius asperi, atrocisque aliquid perpessus est, sed ei mitia omnia, et quasi ex voto singula acciderunt. Rhodigium incolumis pervenit, ubi animus illius omni dolore solutus, summo gaudio perfusus fuit. Est Rhodigium urbs non inamoena, quae cum multis aliis olim Venetae Reipublicae civitatibus et oppidis anno 1797. die 17. Octobris inter invictum belli ducem Napuleonem Bonaparte, nunc gloriosum Francorum Imperatorem, et Franciscum II. Augustum Germaniae Caesarem foedere in Campo Formio icto, sub Austriacam potestatem transierat. In has urbes insana Libertatis pestis non irrepserat, et si aliquod illius principium apparuit, acri, subito, et salubri medicamento purgatum, depulsumque fuit. Harum regionum incolae, ut nunc in Galliis, in unius Caesaris reverentiam intenti, suis se furiis non mactabant, et per falsam libertatis imaginem studiis et

factionibus suis nequaquam distinebantur. Tranquilla, amoena, et felicia ibi regna et tempora. Ergo heic Stephani animus jam omni dolore, et curarum pondere solutus, palam gestire coepit, rediitque verbo lepos, ori facetiae, orationi venustas, cordi sua integritas, et quod rei caput est, comitabatur eum illud solidum animi gaudium, verae virtutis, et bonae conscientiae condimentum. Reperit heic ille admirabilem illum senem, et doctissimum Adriae Episcopum, D. Arnaldum de Speroniis Patavinum, Stephano nostro jamdudum arcto amicitiae foedere conjunctum, qui eum in suum episcopale palatium apertis brachiis detulit, in ornatissimo conclavi collocavit, mensa, quadrigis, famulis, et numis instruxit. Erat Speronius vir natalibus clarus, antiquae simplicitatis et probitatis eximius cultor, cura episcopali nemini secundus, et ut Episcopum addecet, hospitalis, benignus, misericors, aetate provecta venerabilis, eruditione atque doctrinis ecclesiasticis apprimè excultus. Is, dum adhuc in coenobio ad S. Georgium Majorem in insula veneta Monachi Benedictini vitam agebat, praeter alia praeclara opera celebris illius viri Antonii Godeau, Episcopi Vincii vitam in publicam lucem emiserat, quam deinde excepit doctus de Episcopis Adriensibus Commentarius, in quo multa veteris Adriae ecclesiastica monumenta scitè dilucidantur. Is ipse Romae in celebri S. Callisti coenobio Magistri Novitiorum munere per plures annos perfunctus est, sub eoque Pius VII. P. M. ejusdem instituti alumnus, sui ordinis tyrocinium posuit; quae quidem liberalis et sapientissima educatio, dum in totius Ecclesiae emolumentum et decus cessit, an Magistro, an vero ipsi alumno plus ornamenti adjungat, res anceps est et indecisa. Cum hoc viro, romana purpura digno, Stephano Borgiae Rhodigii et Adriae hospitium et societas fuit, et quia inter utrumque vetus amicitiae necessitudo intercesserat, lector noster facile conjiciet, quanta inter ambos amoris obsequia, quam erudita colloquia, quam suavis et diuturna conversatio, illud hospitium illis diebus compleverint. Accedebat huic conversationi Austriacae militiae Chiliarcus D. *Klenau*, vir ingenio praeliari notissimus, et multis felicibus bellicis expeditionibus in Italia clarus. Hujus viri opera Stephanus suas mihi litteras, die decima Junii eodem anno 1798. scriptas, Vindobonam submisit, quibus me certiorem reddidit se salvum esse, Rhodigio Patavium transire velle, ibique meum adventum operire. Itaque constituto die Rhodigio iter Venetias apparatur, quo dum Stephanus appulisset, uberius, fortiusque Divinae Providentiae praesidium expertus est. Divulgato in ultima Thule nostri Cardinalis exilio, *Fridericus Munter*, Cathedrae Theologicae Hafniensis Moderator, quocum Stephanus olim Romae sanctum amicitiae vinculum contraxerat, praesentis temporis injuriae memor, amico centum numos aureos Venetiis per quemdam negotiatorem Danum adnumerari curavit, et aliud pecuniae subsidium polli-

citus est, si ita amici necessitates postularent. Dici nequit, quam grato et jucundo animo Stephanus Cardinalis hoc donum exceperit. Quamvis ille Munterum, virum eruditione praeclarum, antea admodum dilexerit, attamen accepto hoc illius benevolentiae et amicitiae testimonio, in tam congruo temporis puncto oblato, ita in illum exarsit, ut deinceps semper eum *animam bonam* (bell' anima), verae amicitiae exemplar, et optimi animi virum nuncuparet. Et re vera, accepto de Stephani Cardinalis obitu nuncio, eximius ille vir amici mortem vehementer luxit, ejus elogium danico sermone extemplò divulgavit, atque datis ad Perillustrem virum Joannem Paulum, Equitem Hierosolym., defuncti Stephani germanum fratrem ornatissimis litteris veterem amicitiam instauravit. Hac nobili agendi ratione *Munter*, *Schow*, *Millin*, *Lantius*, *Cancellierius*, aliique satis demonstrarunt, se longe abesse ab illo vilium assentatorum grege, qui sublato e vivis Stephano, jam frigidi et inertes, nullo doloris sensu afficiuntur, sublataque amici mensa memoriam illius amiserunt. *Pediculi*, inquit Plutarchus, *morientes deserunt*, *abeuntque ab eorum corporibus extincto*, *quo alebantur sanguine* (7). Venetiis Stephanus Patavium petiit, ubi *Arnaldi Speronii* Episcopi Adrianensis aedes ingressus, more suo romano omnibus litteratis viris ad se aditum praebuit, eosque admirabili sua comitate et urbanitate peramanter complexus est. Ab eo tempore domus haec quasi ludus quidam, aut palaestra omnibus patuit, ad quam convolabant non solum doctissimi academici et gymnasiarchae Patavini, sed etiam alii omnium gentium litterati viri, quos tunc Italia ultro citroque commeantes habuit. Vidi ibidem Anglos, Danos, Gallos, Germanos illius hospitali mensae accumbere, cujus praecipua dignitas non in exquisitis salsamentis, quae palatum et gulam irritarent, sed in litterariis colloquiis et animi deliciis sita erat. Inter has frugales et jucundas epulas summus vir suos hospites blandè aggrediebatur, atque nunc ab istis suorum studiorum rationem postulabat, nunc illos ad nova operum molimina excitabat, nunc errantes castigabat, nunc iterum alios suis consiliis, scriptis, libris, monumentis adjuvabat. Quis crederet, nisi alioquin certum esset! In hac peregrina terra, hoc exilii tempore Stephano Borgia auspice, duce, Mecoenate sex decim litteraria opera ipsi dedicata, in lucem prodierunt, quorum catalogum ego jam exibui in mea *Vyàcarana* edit. Rom. 1804, in annotationibus ad praef. p. VI. Heic ego brevitatis studio sola auctorum nomina recensebo, ne rei tam singularis memoria obliteretur. Franciscus Fontanius Florentiae edidit *Elogium* viri doctissimi, *P. Augustini Antonii Georgii*; Franc. Hieronymus Bocchius, Adrianaeus, dissertationem scripsit

(7) Plutarchus in Commentario: *Quomodo possit Adulator ab Amico internosci.*

de *Veteri vase baptismali Adriae reperto* ; Florianus Caldanius Bononiensis, Patavii anatomices Professor, *Observationes in duos versus II. eclogae Virgilii*; Praesul Angelus Nuzzi, Romanus, longam et eruditam epistolam de *Origine, et usu nomini* PAPA; Fr. Paulinus a S.Bartholomaeo, seculari nomine Joannes Philippus Vesdin, Carmelita Discalceatus, dissertationem edidit de *Antiquitate et Affinitate linguae Zendicae, Samscrdamicae, et Germanicae*, quae lucem aspexit Patavii anno 1799. impensis ipsius amplissimi Mecoenatis Stephani Borgiae. Franc. Hieronymus Bocchi, idem qui supra, nitidis typis protulit dissertationem de *Veteri Adriae Sigillo in Museo Borgiano Velitris asservato* ; Comes Simon Straticus disquisitionem de *Duobus formis archetypis aeneis ad Antiquum numisma majoris moduli spectantibus*, Veronae 1799. Fr. Paulinus, idem qui supra, *Mumiographiam Musei Obiciani*, Patavii 1799., Cl. vir Angelus Febronius, Academiae Pisanae Curator, vitam protulit *R.P. Aug. Antonii Georgii*, Pisis 1799., Praesul Gregorius de *Varess*, Episcopus Ruspiensis, et Vicarius Apost. Bosniae Ottomanae *Regnum Mariae Virginis Deiparae*, in linguam Illyricam vertit ex autographo Italico Alexandri Borgiae, Archiepiscopi et Principis Firmii ; praeclarus vir Aloysius Lantius dissertationem scripsit in *Urnam veterem hetruscam* ; Joannes B. Ferrarius, in Seminario Patavino Studiorum Moderator, vitam edidit *Jacobi Facciolati*, Patavii 1799., Vincentius Malacerne, academicus et Prof. Patavinus, dissertationem de *Morbo tredecennali Elii Aristidis*, *Sophistae Adrianaei* ; clarissimus, et mihi jam dudum amicitiae vinculo conjunctus, Abbas Daniel Franciscon ius illustravit *Urnam auro*, *aliisque metallis ad normam Persicae artis caelatam*, Venetiis 1800. Sunt praeterea alia opera, quae hoc tempore prodierunt in lucem, stimulos admovente Stephano Cardinale. Eminet in his opusculum inscriptum : *Spiegazione del Simbolo del B. Niceta, Vescovo di Aquileja ai Competenti*, Padova 1799., quod ex latino sermone versum, a quibusdam Patavinis presbyteris nuncupatum fuit venerabili viro, D. Thomae Benetello. In praefatione hujus praeclari opusculi oblatores in hunc modum sermocinantur : *Ricevemmo in questi giorni un dono prezioso dalla venerata mano benefica e generosa dell' Eminentissimo Sig. Cardinale Stephano Borgia, di quel gran Cardinale, che dalla Divina Providenza, la quale sà trarre grandi beni di mezzo ai più grandi mali, condotto a soggiornare in questa nostra Città, la edifica coll' esemplarità delle sue virtù eminenti, la onora ed illustra non pure coll' amico raggio del suo volto, coi soavi cortesi modi, col piacevole tratto, mà molto più coi sorprendenti talenti, con la prontezza ed energia amirabile dello spirito, colla profonda vastissima erudizione, già nota all' Europa dalle moltiplici esimie opere sue*. En paucis verbis delineatum Stephani Borgiae characte-

rem, en in compendio exhibitam illius indolem, ingenium, virtutes, gesta, et frugi exempla, quae is Patavii edidit, ac reliquit. Inter Divinae bonitatis beneficia, a Supremo omnium rerum Moderatore urbi Patavinae concessa, numerabatur ab omnibus Stephani in eam regionem et urbem adventus, et in ea ab illo relicta pietatis et doctrinae monumenta. *Bonum est diffusivum sui*, inclamabat identidem hic doctissimus Cardinalis: *aequum est, nos discere, aut docere*. Huic eximio principio innixus, aperiebat ille Romae et Patavii litteratis viris sua scrinia, et tabularia, exhibebat illis suas schedas, notamina, codices, libros, monumenta, nullique parcebat curae vel studio, ut discere volentibus ad amussim fieret satis. Non loquebatur ex cathedra tamquam infallibilis Doctor, sed quasi unus esset ex discentibus, comiter et blandes aut ipse docebat, aut docentes animo humili et demisso audiebat. Nihil est in docto viro pulchrius atque ad hominum animos illaqueandos potentius, quam humilitas animi, et affabilitas sermonis, et in utroque hoc puncto mirum quantum excelluit Stephanus Cardinalis. Incredibile est, quanta, et quam frequens sit litteratorum virorum corona, quibuscum ille voce, scriptis, consiliis, doctis concertationibus communicavit. Nulla est fere Orbis natio, nulla regio, in qua ille litterariae sollicitudinis socios non haberet. Nos rem Lectori non injucundam, et Stephani dignitati consentaneam esse arbitramur, si aliquorum nomina prodiderimus. Nemo nobis succenseat, si aliquos praetereamus, neque enim hujus compendii angustiae patiuntur, ut longam illorum, et pene infinitam seriem attexamus.

Romae Cajetanus Marinius, Tabularii Vaticani Praefectus, Georgius Zoega Danus, Philippus Angelicus Bechettus, Ord. Praed., nunc Civitatis Plebis Episcopus, R. P. Gabriel Fabricius, Ord. Praed., R. P. Augustinus Ant. Georgius, Ord. Eremit. S. Aug., Ennius Quirinus Vicecomes, nunc Lutetiae Parisiorum, Franciscus Cancellierius, Typographaei S. Congr. de Prop. Fide Praeses, Joannes Ant. Riccius, Tabularii S. Congr. de Prop. Fide custos, Philippus Invernitius, causidicus Romanus, Philippus Maria Renatius, causidicus Romanus, Dominicus Testa SS. D. N. PIO VII. P. M. ab epistolis latinis, Praesul Angelus Nuzzi, S. Congr. Discipl. Reg. a Secretis, Carolus Fea, veterum monumentorum in Urbe curator, et custos, Praenobilis vir, Eques d'Agincourt, Gallus, Joseph Callandrellus, speculae astronomicae in urbe rector, Clemens Blasius, Ord. Camald., Ab. Arevalo Hispanus, Ab. Laurentius Hervas, Hispanus, Ignatius Raponius, Romanus, Joannes Christoph. Amadutius, olim Typographaei S. Congr. de Prop. Fide Praeses, Joannes Casalius, Canonicus Basilicae S. Petri, L. B. de Vivere, Flandrobelga.

Neapoli Antonius Capycius Minutulus e Principibus Canusii, Ni-

colaus Ignara, Canonicus, Cyrus Xav. Minervinius; et alii.

Florentiae, Pisis, et Parmae, Ab. Aloysius Lantius, Angelus Maria Bandinius, Dominicus Sestinius, nunc Lipsiae in Germania, Joannes B. Passerius, Ab. Franciscus Fontanius, Angelus Febronius, R. P. Irenaeus Affò, Ord. Min. de Obs., Ab. A. Andres, et alii.

Mediolani R. P. Hermenegildus Pinius, Ord. Cler. S. Pauli, Ab. Amurettus, Hippolytus Pindemonte, Joseph Vernazza, Baro de Freney, *Vtini* R. D. Angelus Maria Cortenovis, Ord. Cler. Reg. S. Pauli, Academiae Utinensi a Secretis, *Bononiae* Ab. Trombellius, *Venetiis* Ab. Jac. Morellius, Bibliothecae S. Marci Custos.

Parisiis Ab. Barthelemy, A. C. Millin numophylacii Imperialis Custos, A. I. Sylvestre de Sacy, instituti Scientiarum Socius, Caspar D'Ansse de Villoison, Eques Dolomieu, Josephus Hager, nunc Legationis Moscoviticae in Sinas Socius.

Londini Joannes Walker, Thomas Ford Hill, Joannes Hen. Bartels, Richardus Chandler, et alii.

Hafniae in Dania Jac. Georg. Christianus Adler; Fridericus Munter, Nicolaus Schow, Torckillus Baden, Gregorius Wad, Fridericus Engelbreth, Rhamus, Wallich, et alii.

Londini Gothorum Mathaeus Norberg.

Chilonii Joannes Fridericus Kleuker.

In Germania Sup. Georg. Henricus Martinius, Andreas Birch, Martinus Vahl, Olaus Gerhardus Tychsen, Christoph. A de Murr, Joannes Philippus Siebenkees, Arnoldus Heeren, Joannes Frid. Blumenbach, Ouden, et alii.

Vindobonae in Austria Bernardus L. B. de Jenisch, Bibliothecae Caesareae Praefectus, Franc. Carolus Alter, Graecae Linguae Professor.

In Hungaria Mart. Georg. Kovachich, Paulus Beregtzatzius S. Patakini Professor, Michael Tertina, et alii.

In Colonia Joannes, Comes Potockius.

In India Orientali R. P. Marcus a Tumba, Ord. Min. Capp., Illmus D. Aloysius Maria a Jesu, Carmelita Discalceatus, Episcopu Usulensis, et Malabariae Vic. Apost.

In Perside R. D. Leopoldus Sebastiani, Lycophronis Chalcidensis Cassandrae Romae Editor, in Perside Orthodoxae fidei praeco.

In Mexico Ab. Linus Fabrega, Codicis Mexicani Musei Borgiani Romae Interpres.

Musei Borgiani Scriptores recenset praeclarus vir *Daniel Franciscanius* in ea imagine, quam honori *Caroli Scapini*, celeberrimi bibliopolae Patavini, qui anno 1801. die 16. Aug. supremum diem obiit, incidi curavit. Sunt autem illi: Georgius Zoega, Cajetanus Marini, Simon Assemanus, Joseph Toaldus, Gregorius Wad, P. Irenaeus Affò,

G. Christ. Adler, Nicolaus Schow, P. Gabriel Fabricius; P. Ant. Aug. Georgius, P. Paulinus a S. Bartholomaeo, Frid. Munter, P. Philippus Angelicus Becchettus, Daniel Francesconius, Philippus Siebenkees, Ab. Aloysius Lanzi, comes Travisan, Ennius Quirinus Visconti, Carolus Fea, Stephanus Borsan, Franc. Hieronymus Bocchi, Arnoldus Heeren. Addidit ille Ant. Capycium e Principibus Camusii, qui tamen inter eos locum non habet, eique substituendus est Philippus *Invernitius*, et Dominicus *Sestinius*. Ex his aliquorum imagines colore ad vivum expressas Stephanus Cardinalis in sua bibliotheca apponi curaverat, ut studiorum suorum sodales, et de suo Museo Veliterno benemeritos viros semper praesentes haberet. Non omnes sunt ejusdem ponderis et momenti, aliqui enim pauca et levi manu attigerunt, alii vero plurima illustrarunt, et multum temporis, olei, et operae in veteribus monumentis describendis impenderunt. Jam vero si huic catalogo ipsa praeclara opera a Stephano nostro elucubrata, si omnes dissertationes, locos et viros recenseas, qui non ex proposito, sed incidenter Musei Borgiani Vellitris monumenta attigerunt, eaque in suum litterarium usum converterunt, bibliothecam nactus es locupletissimam per Borgianam societatem fundatam, excitatam, et doctissime instructam. Id vero, quod in hoc litterario albo admirationem parit, et pene fidem superat, est: quod amplissimus vir non aliqua vicaria manu monumenta, codices, et cuncta studii adminicula amicis suis administraverit, aut iis per suos amanuenses responderit, sed per se ipsum exhibitis, scriptis, et expeditis epistolis et monumentis, omnibus se consulentibus peramanter satisfecerit. Longissime is aberat a moribus eorum virorum litteratorum, qui in sapientia sua confidunt et de doctrina sua mysteria jactant, ut magnam de se opinionem excitent. Primus, et promptus ad revelanda sua arcana litteraria viam amicis commonstrabat, et non solum ducem, sed si ita dicere licet, eis famulum se praebebat ad veteres et exoticas linguas illustrandas, ad ecclesiasticam historiam sinceris et antiquis monumentis comprobandam, ad veteres inscriptiones explicandas, ad omne profanae et sacrae scientiae genus dilucidandum, et quod mirum, ad ipsa artium opera perpolienda. Nullus apud eum pigritiae, imposturae, adulationi, aut falsitati locus dabatur, videbaturque Divina Providentia in hoc viro sua praesidia collocasse, quibus obniteretur falsis saeculi nostri sophistarum doctrinis, et impetus frangeret novae philosophiae editione publica tot excellentium operum, quibus vana, et impia coerceretur desipientium audacia et jactantia. Sunt, qui Stephano nostro in doctrina *Hiacynthum Gerdilium*, alterum ex sacro Senatu aevi nostri eximium Patrem praeponunt, et hi fortassis non falluntur, si excellentem illius metaphysicam, res religionis abstrusas exprimendi facilitatem, et dogmaticas

quaestiones pertractandi artem in eo contemplemur. At in ecclesiasticae historiae scientia, in S. Sedis, et ecclesiae universae jurium, canonumque notitia, in venerandae antiquitatis studio, in geographia, ritibus, lithurgiis, ac omni alia sacra et profana cognitione, mea quidem opinione, Stephanus noster *Gerdilium* longe superavit. Immortalia sunt hujus gesta, neque umquam absummere poterit edacitas temporis tot excellentia opera et monumenta, ab eo tam feliciter elucubrata.

CAPUT IV.

Stephani Cardinalis Ecclesiasticae Occupationes Patavii.

Litteraria Stephani negotia Patavii exoluta perstrinximus, reliquum est, ut ejus ecclesiasticas occupationes expediamus. Non tantum scientiarum, politiorumque litterarum studium Stephani animum Patavii detinebat, sed cumprimis summus illi fuit in sacras totius Orbis Missiones ardor et sollicitudo, cui parem prior aetas non vidit, et posterior vix aliquando est visura. Ingenti coorta tempestate, tunc in profundo mari jactabatur Petri Navicula, et impii suis novis furiis, ut taedis agitati, de tanta procella gaudebant, sperantes fore, ut illa aut fluctibus obrueretur, aut in scopulos abrepta collideretur. De tanto malo gementium Christianorum miseri luctus et lamenta jam ad ultimos orbis fines pervenerant, invasitque ingens moeror et commotio eorum animos, qui orthodoxam fidem in longinquis regionibus barbaris gentibus annunciant. Multi ex illis animos desponderant, atque a virtute, a se ipsis desciscere parati, suo labore excultas gentes, sudoribusque suis irrigatos campos, magno populorum damno deserere meditabantur. Sed tantis malis obviam ivit singularis Divini Numinis providentia, movitque acriter cor unius Principis foeminae, quae PIO VI. P. M., tunc Florentiae obsidi, oppidò conspicuam pecuniae summam Florentiam misit inter fidei praecones erogandam. Ergo immortalis ille Pontifex statim manu sua codicillos exarat, atque Stephano Borgiae Cardinali omnium Missionum curam committit. Nec multo post per Nuncium Apostolicum Florentinum Patavium submissi, Stephano adnumerati fuere nummi; praeceptumque fuit, ut totius rei Christianae strenuam gereret curam. Paruit mandatis vir eximius, et ingenti animi fervore delatam sibi provinciam regendam suscepit: Jam ergo expediuntur Patavio in omnes orbis partes acres et paternis monitis refertae litterae, quibus praecipitur, ut fidei Christianae praecones suis stationibus firmi consistant, mox adfutura nummorum subsidia, eaque omnia, quibus servando religionis decori optime prospici possit. S. Congregationis de Propaganda fide Orientales alumni,

qui Roma ejecti per Italiae urbes palantes et dispersi vagabantur, litteris Stephani Cardinalis fuere commoniti, ut sine mora Patavium advenirent, in qua urbe PP. Franciscanorum disciplinae traditi, sua studia et pietatis exercitia sunt prosecuti. Alias, amoris plenas, litteras Eminentissimus Ecclesiae Princeps expediverat ad praecipuos quatuor Orientalium Missionum curatores, quibus eos de PII VI. Summi Pontificis mente et mandatis certiores reddiderat, atque ut confestim Patavium advolarent, adhortabatur. Tertia denique epistola praeclarum virum, Caesarem Brancadorum, tunc S. Congregationi de Prop. Fide a Secretis, et nunc amplissimum S.R.E. Cardinalem, ac Archiepiscopum Firmanum, admonuit, ut nulla interjecta mora se Patavium conferret, ibi suam auxiliatricem porrecturus manum ad universas jam jam labantes Missiones reficiendas et confirmandas. Paruere sollicitanti Stephano omnes isti viri, coaluitque ex illis nova Congregatio de Propaganda Fide, virorum quidem numero pusilla, sed delectu, vigore et solertia maxima, quae Romanae olim congregationi in nihilo cedebat, et aeque ac illa labore et studio suo hac Ecclesiae calamitosa tempestate, in toto qua late patet orbe rem Christianam temperabat. Magno hic pusillus grex gaudio affecerat animum Stephani Cardinalis, atque exinde dicere solitus erat, se liquido comperisse: totius Mundi Spirituale regimen non in veteri romana pompa, non in administrorum multitudine, sed in virorum delectu, solertia, et opinionum consensu stare. Addere poterat: et in Praefecti prudentia, suavitate, erga omnes et singulos se invisentes eximia charitate, et infatigabili atque assiduo religionis promovendae studio et ardore, quo ipse conspicuus erat. Hujus viri opera paucorum mensium spatio in varias Orbis partes expediti fuere tredecim novi fidei praecones, missa in Asiam, et Affricam non pauca numorum millia, firmati in stationibus suis veteres Missionarii, creati novi Vicarii Apostolici, consociatae in fidei unitate longinquae gentes, et ejus solertia et studio rectus, servatusque fuit universus Christianus Orbis. Jam ergo laetis vocibus concinimus: *Benedictus Deus et Pater Domini Nostri JESU Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatus est nos in omni tribulatione nostra*. Nihil contra potentiam Domini efficere potuit sophistarum astutia et furor, dissipati sunt a splendore virtutis ejus, et contriti sunt forti brachio illius.

Communem omnium nostrum laetitiam hisce diebus non parum auxit magnifica Sapientissimi Daniae Regis in Stephanum Cardinalem liberalitas, is enim cognito hujus viri exilio, eidem mille numos argenti monetae Danicae Patavii adnumerari curavit, quae summa, ut eidem etiam imposterum in singulos annos penderetur, clementissimo decreto sanxit. Ratio hujus eximii beneficii, et tantae optimi Princi-

pis in Cardinalem benevolentiae in ipso Stephano Borgia est quaerenda, nec ea quempiam latere potest: qui novit, quanta benignitate, quam dulci et amoena suavitate is Romae omnes Danos ad se adventantes complexus fuerit. Audeo dicere, amplissimum virum plerosque ex illis velut suos germanos fratres dilexisse, frugali, sed elegante sua mensa semper excepisse, modis omnibus in politiores litteras, et varia honestarum artium studia pertraxisse. Hujus rei luculenti testes sunt viri omni exceptione majores, Jacobus, Georgius, Christianus Adler, Georgius Zoega, Fridericus Munter, Nicolaus Schow, Torkillus Baden, Gregorius Wad, Fridericus Engelbreth, Rhamus, Wallich, et alii. Volvebatur annus millesimus septingentesimus nonagesimus nonus, dum Stephanus Cardinalis hujus regii beneficii laetum nuncium Patavii accepit, qui annus, quemadmodum a summis sceleribus in eo perpetratis aeterna detestatione est dignus, ita is ipse ob insignia virtutum specimina eo vertente a bonis viris edita in gentium annalibus honestum locum obtinebit. Postquam enim ingens et horrendum *Anarchiae* monstrum florentissimas Galliae et Italiae provincias excidit, diripuit, et devoravit, ex virtutis ac scelerum pugna et collisione secuta est bonorum a malis secessio, et utrique pro viribus in diversa nitebantur, hi quidem ad virtutem, honestatem, et religionem evertendam, illi autem ad scelera et vitia coercenda, atque ad pura et locupletià virtutum monumenta sedulo et fortiter excitanda. Detinebatur adhuc Pius VI. P. M. Valentiae in Gallia obses, Roma sub anarchiae et direptionis jugo gemebat, Purpurati Patres, et Ecclesiae Romane Praesules nudi, squallidi et miseri per Italiae urbes, oppida et montes dispersi delitescebant. Hac ergo funesta tempestate Stephanus Borgia Patavii consilium init, Ecclesiae Romanae temporalia bona scripto commentario defendendi, quem reliquorum, qui Patavii, Venetiisque aderant, purpuratorum Patrum oculis subiicere, atque ex eorum nutu et consilio piissimo Caesari Francisco II. submittere statuit eo fine, ut Ecclesiae jura et bona pro virili defenderet et vindicaret. Est mihi prae manibus hujus commentarii synopsis, quam praeclarus vir Nicolaus Bonomi, Stephano in Veneto Conclavi socius, et hodie SSmo D.N.PIO VII., ut ajunt, ab intimo sacello sacerdos, ex Stephani schedis descripsit. Emicant in hoc scripto Borgiani igniculi, et ubique enitet eximia et solida Cardinalis nostri doctrina. Primo quidem ostendit, Bona et possessiones Ecclesiae voluntaria populorum oblatione, vel Principum donatione Ecclesiis accessisse; et talis est donatio Constantini Imperatoris, quam refert Eusebius in Constantini vita *lib.* 2. *c.* 39. (8) II. Ait: Imperatores Occidentis a prima eorum institutione

(8) Cum Ecclesiae bona summam nostris sophistis invidiam creaverint, et palatum eorum titillent, e re nostra esse judico, ex eorum oculis hoc invidiae et igno-

et ad solium accessu se semper nuncupasse et revera exhibuisse *Ecclesiae advocatos*, et *defensores* (9). Certe *Carolus M.*, qui *Pipini* dona-

rantiae velamen detrahere, et si quidem naturalis aequitatis, ac mentis perspicaciae capaces sunt, eruditionis et justitiae gratia heic aliqua apponere. Primaeva Ecclesiae bona erant spontaneae et liberae Fidelium oblationes, et jure *proprietatis* in Ecclesias transfusae. Nondum illuxerat illis *jus Majestatis*, aut *alti dominii*, quod postremis his temporibus prolatum, et decantatum fuit. *Reddere, et tueri unicuique suum*, jus naturae est, et humanae societatis fundamentum. Ex quo principio sponte fluit, primos fideles, res suas jure, vel industria aquisitas, Ecclesiae donare potuisse. Et de his quidem Scriptura dicit: (Act. Apostol. C. IV.) *Quotquot enim possesores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat .... Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit praetium, et posuit ante pedes Apostolorum.* Tria autem genera erant bonorum Ecclesiae, I. Καρποφορίαι seu fructuum oblationes, II. agri et eorum reditus seu fructus, III. alia bona, mobilia et immobilia. Hoc luculenter patet ex Can. XXXV. univerrae Ecclesiae, qui est Conc. *Ancyran.* Περὶ τῶν διαφερόντων τῷ κυριακῷ etc., ex Can. LXVII. Conc. *Gangrensis*: Εἴ τις δίδοῖ ἢ λαμβάνοι καρποφορίαν παρεντὸς τῷ ἐπισκόπῳ ἢ τοῦ ἐπιτεταγμένου εἰς οἰκονομίαν εὐποιΐας καὶ ὁ δίδους, καὶ ὁ λαμβάνων, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dederit vel acceperit fructuum oblationes, praeter Episcopum, vel eum qui constitutus est ad dispensationem beneficientiae: et qui dat, et qui accipit, anathema sit.* Lucidior, sed longior est canon CIII., et CIV. ejusdem Concilii, in quibus bonorum ecclesiae administratio Episcopo addicitur, cujus sede vacante a presbyteris alienari non possunt, alienata revocantur, ex decreto Episcopi per oeconomum administrantur, et NB Si Episcopus de iis male decernit, rationem reddere debet Synodo provinciae, et correctioni subiicitur. Haec omnia traduntur in *Codice Canonum Ecclesiae Universae* a Justiniano Imperatore confirmato, id est, civili auctoritate firmato, quem exhibuit edit. Graeco-latina *Christoph. Justellus* JC. Parisiis anno CIↃ IↃ. Cx. Jam autem cum Concilium *Ancyranum* ad annum Christi 314., *Neocaesariense* itidem ad an. 314., *Gangrense* ad an. 325., quo etiam Canones primi Concilii *Niceni oecumenici* conditi sunt, referatur, jam patet, haec Ecclesiae bona nec a *Constantino*, nec a *Justiniano*, neque a *Carolo M.* data et concessa fuisse, sed fundationi ecclesiarum coaeva, communi fidelium congenita esse, et jure societatis, quo ecclesiae coaluere, ad ipsas ecclesias spectare. Nulla orbis regio, nulla gens, quae unius supremi omnium rerum Moderatoris existentiam agnoscit, sine aliquo illius externo cultu inventa est: cultus autem oblationes, sacrificia, preces, et administros exposcit, et hi quidem honestam sui sustentationem, templa autem et sacrificia sumptus, reditus, et impensas. Quid ergo Sophistae pro garrulitate sua jure civili et sociali vitae commoda, et proemia poscent, et divini cultus administri ab hoc jure excludentur?

(9) Pipinus rex Franciae numquam per Longobardos adduci potuit, ut Romanae Ecclesiae praedia et reditus per *Aistulphum* eorum regem diriperentur. Quin immo in conventu *Carisiacensi*, ut est *tom.* 6. Concil. p. 1650., et apud Anastasium in Hadriano I., *Pipinus* tam suo nomine, quam duorum Principum *Caroli* et *Carolomni* filiorum suorum conscriptis litteris multas urbes a Longobardis vi occupatas Stephano Papae et Ecclesiae Romanae donavit,

tionem auxit et confirmavit tabulis ab Etherio scriba suo descriptis, et manu sua munitis, atque anno 774. in ipsa S. Petri Basilica super Confessionem S. Apostoli depositis, palam confitetur, ut est apud *Baluzium* tom. 1. p. 522., Ecclesiae bona Christi Servatoris bona esse, atque ab Ecclesia alienari non posse: *Quia* inquit, *Christum et Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus: quaecumque Ecclesiae sunt, Christi sunt*. Tum in altera Capitulari Carolus M. in haec transit verba: *Novimus multa regna et reges eorum propterea cecidisse, quia ecclesias expoliaverunt, resque earum vastaverunt, alienaverunt, vel diripuerunt. Quae omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec Infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed quantum valemus et possumus, per Deum et omnium Sanctorum merita prohibemus, contestamurque ne talia faciant, vel facere volentibus consentiant, sed adjutores et defensores, atque sublimatores ecclesiarum et cunctorum servorum Dei pro viribus existant*. III. Postquam Stephanus Cardinalis ex Carolinis Capitularibus, Justiniani legibus, Ferdinandi II. Imp., aliorumque regum et Caesarum auctoritate et sanctionibus bona ecclesiastica tempore *Anarchiae* direpta, usurpata, et alienata, ecclesiis, et S. Sedi restituenda esse commonstravit, tum demum ad S.R.E. Cardinales suum sermonem convertit, atque ex epistola Cleri Romani ad Clerum Carthaginensem scripta, ex Concilio Basileensi sess. 23., ex Bulla Pii V., Clementis VIII., ex Conc. Tridentino de refor. sess. XXII., aliisque ecclesiasticis monumentis ostendit: Rom. Pontificem unacum

ut refert *Fleury* edit. lat. Augustanae tom. X. p. 237. ad an. 754. et §. XVIII. Et ex supralaudato *Anastasio* constat, eidem Ecclesiae a Pipino *amore S. Petri, et spe veniam suorum peccatorum promerendi*, exarata iterum epistola, per Abbatem *Fulradum*, suum a Consiliis virum, Romam delata, et super Confessione S. Petri collocata, sequentes urbes donatas fuisse: *Ravenna*, *Ariminum*, *Pisaurum*, *Fanum*, *Caesena*, *Senogallia*, *Aesinum*, *Forum Pompilii*, *Forum Livii*, *Castrum Cari*, *Mons Feretri*, *Acerragium*, *Mons Lucari* (forte Pedilucum), *Serravallis*, *Mariniacum*, *Bobium*, *Urbinum*, *Callium*, *Eugubium*, *Commaclium*, et *Narnia*. Ita has urbes recenset *Anastasius*. Nihil in jure sanctius, et apud omnes gentes divinius, quam *donationes, et ultimas voluntates donantium servandas esse*, atque *ea bona quae Deo, ejusque cultui semel consecrata sunt, Divino usui relinquenda esse* – Hinc praedia, nemora, luci, insulae apud Romanos *Jovi Maximo* dicatae et consecratae; semperque sacrilegii rei habiti sunt illi, qui templa et res sacras depopulati sunt et expilaverunt. Neque vero haec diu sine societatis eversione stare possunt, fur enim alium furem generat, et qui Deo perjurus est, suae dignitati et potestati perjuros quaerit ac invenit. Non aufert Religio Reipublicae bona; utpote quae radicaliter in Republica remanent, sed ea magis auget et conservat. Visum est, et longa exemplorum serie res probata est, eis, quibus ambiguae domi res, domesticis malis patriae et religionis excidium quaesivisse, atque religionis damno, examinatique regni sanguine paucas hirudines expleri.

sacro purpuratorum Senatu ecclesiae bonorum administratorem esse; ac proinde eorum curae, et conscientiae onus incumbere, ut perdita, usurpata, et alienata ecclesiae bona Caesaris interventu et auctoritate restituantur et vendicentur: ad quam rem comprobandam, in modum et circumstantias usurpationis et alienationis inquirit, atque ex iis deducit: supplici libello Caesari porrigendo, omnes purpuratos Patres subscribere debere. *Quisquis*, inquit, *metu cujuslibet Potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum*. Tractum hoc est ex epistola S. *Augustini* ad Casulanum. Plura sunt alia praeclara argumenta, quae Stephanus ex intimis causae visceribus ad vindicandam Ecclesiae bonorum restitutionem affert, sed quae pacis amore heic producere non expedit; et hoc praecipue ea de causa, quod variantibus rerum circumstantiis, allatoque de obitu Pii VI. nuncio, Galliae domitor, et deinde ejus Augustus Imperator, Napuleon I., se Ecclesiae Romanae propitium ostenderit, et illius bonorum restitutionem animo decreverit. Huic doctissimo commentario inter omnes S. R. E. Cardinales distribuendo, et ab aliquibus jam maxima mentis attentione perlecto, Stephanus Patavii operam navaverat anno 1799., et vertente festa die Virgini Deiparae in caelos Assumptae, mense Augusto Cardinalium manibus volutandum tradiderat. Adest quin immo et aliud illius manuscriptum eodem tempore expeditum, quo novo Pontifici eligendo obeundi sui muneris rationes, et eximia praecepta sistit, quaeve in eo vitanda, quae viribus omnibus amplectenda sint, palam et aperte commonstrat. Hoc ecclesiasticum προτρεπτικον in venerabiles Pii VII. P. M. manus incidit, ex quibus cum id extricare non licuerit, nihil de eo statuere possum. Hae et aliae fuere Stephani Cardinalis *Patavii* ecclesiasticae occupationes. Lepidum est illud, quod falso allato nuntio, quem tamen ille verum esse credebat, de liberato, ab Austriaco milite, Pio VI. Pontifice, dum Florentia in Gallias traducebatur, ipse statim ad sacram D. Antonii aedem properaverit, ibique aucto jam rumore Sacerdotes in concionem convocaverit, rogans, ut ad majorem templi aram solemni cantu Deo debitae grates persolverentur. Et cantatum est, totaque civitas laetitiae jubilo personavit. Perspecta deinde nuntii falsitate, cum ego Stephano adrisissem, ejusque praecocem fidem in culpam traducerem, ipse repente ad me conversus, *nihil*, inquit, *perdidimus canendo; at dolendum est rumorem a vero aberrasse*. Tantus erat ipsius in Pium VI. devotionis affectus, ut ne momento quidem caelare posset suum animi gaudium allato gratissimo de illius salute nuncio.

CAPUT V.

Stephanus Cardinalis Venetiis. Comitia Purpuratorum Patrum.

Glorioso fine supremum vitae diem clauserat PIV VI. P. M. Valentiae Allobrogum, IV. Kal. Septembris, anno MDCCXCIX., annos natus LXXXI., Mens. VI. Dies XIV Mortis rumor Patavium allatus est XII. Septembris, idemque confirmatus epistola D. *Spinae*, Archiepiscopi Corinthi, nunc S. R. E. Cardinalis, qui Pio VI. e vita decedenti adstiterat. Ergo nulla interjecta mora Purpurati Ecclesiae Patres Venetiis congregantur, ut de more comitia celebrent, in quibus novus Ecclesiae Pastor eligeretur. Eluxit hac in re admirabilis miserentis Dei providentia et bonitas, nam plures ex his Ecclesiae Proceribus extrema senectute confecti, aerumnis et itineris incommodis vehementer attriti, superatis terrae et maris periculis, ex longinquis Italiae urbibus mira celeritate, animo et corpore incolumes, Venetias convenerant. Apparantur Francisci II., Augusti Caesaris, ingenti sumptu in insula S. Georgii M., in amplo PP. Benedictinorum coenobio innumera conclavia, et in ea novi Electores die prima Decembris introducuntur. Clausis undique januis, et aptè collocatis excubiis, Praetoriani milites, quos Caesar adesse jussit, locum diligenter custodiunt, ne Sacri Senatus consilia per ultrò citròque commeantes disturbentur. Labebatur jam tertius mensis, et nondum Electorum suffragia in propositum collineaverant. Nunc Cardinalis Carolus Bellisomius, nunc Hyacinthus Gerdilius, nunc Card. Valenti, et Mathaei in Pontificem electus fuisse falso rumore per urbem ferebatur. Neque vero parum molestiae afferebat Electorum discors opinio et tarditas omnibus illis, quos haec comitia Venetias acciverant. Aliqui enim sincerè et ex animo hac tempestate calamitosa citò Ecclesiae universali Summum Pastorem dari exoptabant, alii personarum, partium, et sui commodi studio affecti, potentiae, honoris, et divitiarum avidi, tamdiu cunctantem, suas libidines explendi occasionem, aegerrime ferebant. Interea in Conclavi duae inter se divisae factiones decem Cardinales proponunt, in quos reliquorum suffragia conferri debebant. Fuit ex hoc denario numero unus, Stephanus Cardinalis, in quem septemdecim voces concurrerunt. Diù in hoc campo certatum est, nemine tamen ex his decemviris palmam ferente. Concurrere tandem non sine omnium stupore et admiratione omnium Electorum suffragia in unum, de quo toto tempore ne levis quidem quaestio ferebatur. Et sane Deus ipse afflatu, divina virtute et potestate sua in hoc opus exivisse, et Electorum animos permovisse videtur, ut monachum in Papam eligerent ea tempestate, quâ huic hominum classi in tota fere Italia et Gallia ultimum

excidium intentatum fuit. Fuerunt etiam aliae difficultates, quae huic electioni obstare videbantur, quas tamen omnes abstulit et evertit unanimis Electorum consensus, et ille, qui ex alto universam moderatur Ecclesiam, Servator N. C. J. Itaque omnium vocibus Romanus Pontifex acclamatus est *Gregorius Barnabas Claramontius*, Caesenas, praeclarus Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis alumnus, qui in venerationem sui antecessoris PII VI., patria Caesenatis, PII VII. nomen sibi imposuit. Actum est hoc anno MDCCC., XIV. Martii; die vero XXI. ejusdem mensis Summus Pontifex ex veteri Ecclesiae more triplici diademate redimitus fuit. Ad quod spectaculum, Venetiis numquam antea visum, effusa ingenti omnium ordinum multitudine, tota illa insula incredibili plausu et clamore personavit. Aderant illis diebus Venetiis advenarum et peregrinorum amplius triginta millia, quos rei insolitae eventus, aut sancta in Summum Ecclesiae Pastorem devotio e diversis Germaniae et Italiae regionibus acciverat. Omnibus id maxime mirum, et a Supremo Numine prolapsum opus esse videbatur, quod ex iisdem Venetis undis, quibus celeberrima et perantiqua civilis Respublica Veneta absorpta fuit, novum lugentis Ecclesiae Caput emergeret, et ea ipsa, quae jam ab impiis prostrata esse videbatur, augustior et florentior enasceretur. Contremuère Regum throni, conturbata fuit sceptrorum potentia, jam diu vexabatur Christi Ecclesia, sed praevaluit Domini consilium et virtus, qui adversariorum acerrima molimina uno leni aurae sibilo disjecit, et jactatam fero mari Petri naviculam ad pacis et tranquillitatis portum subduxit. Non erat Stephanus toto hoc comitiorum tempore iners et otiosus. Duos homines, dum rerum necessitas id postulabat, agere perdoctus, unum in sanctioris consili senatu occupabat, altero per totum terrarum orbem excurrens, Orthodoxae fidei propagationem diligentissime procurabat. Extant plures ejus epistolae ex Veneto Conclavi scriptae, quibus religiosorum Ordinum moderatores exhortatur, ut juvenes sacris Missionibus idoneos inquirant, et Venetias submittant. Complectebatur is animo suo Bulgariam, Moldaviam, insulas maris Egaei, Constantinopolim, Armeniam, Mesopotamiam, Persidem, Tibetum, Indiam Orientalem, et ipsas Sinas. Neque effugit curam et sollicitudinem illius Africae pars Oceano obversa, et florida Americae regna, in quae plures Patres Ord. Min. S. Francisci, quos *Capucinos* nuncupant, ex aquis Venetis expedivit. Illis vero regionibus, quas Oceanus et mare pacificum alluit, per D. *Serpos*, virum Armenum, Venetiis negotiorum mole et diligentia notissimum, Londini, Constantinopoli et Aleppi ingentia numorum subsidia assignavit; jamque viribus et fide dilatari coepit illa Ecclesia, quae nuper contracta, excisa, et eversa fuisse ab impiis jactabatur. Dum haec Venetiis aguntur, conciliata sunt tantisper in re-

liquis Europae urbibus Christianorum Principum discrepantia studia, aditusque apertus fuit Romam redeundi. Quare Summus Pontifex, amplissimique Ecclesiae Proceres omnia sua consilia, conatusque ad maturandum in urbem reditum converterunt. Apparatur Francisci II. Augusti Caesaris jussu praetoriana navis, *Bellona* nuncupata, quae novum Pontificem bonis avibus Pisaurum deferret. Lecti fuere itineris comites et socii, amplissimi Patres, Joseph ab Auria, Stephanus Borgia, Joannes B. Caprara, Franciscus Maria Pignatellus, et Romualdus Braschi de Honestis Cardinales. His accessere tredecim Romanae Ecclesiae Praesules Beatissimo Patri a cubiculis, ab epistolis, a Secretis. Non minor eorum turba, qui sponte, et solo in Pontificem amoris affectu cum navigantem comitari, et incolumem in Urbem deducere voluere. Ergo impositis praesidiariis militibus, et annona jam probe instructa nave, itineris moderatore Philippo Ghislerio, Caesaris Legato, anchorae solvuntur, et die VI. Junii molliter inflantibus vela ventis, *Bellona* ex aquis Venetis subvehitur. Vix navim Pontifex conscenderat, praesenti, virilique animo iter aggressurus, cum tota inspiciente urbe laxantur ab omnibus in undis Venetis stantibus navigiis innumera bellica tormenta, quorum sonitu et fragore totum contremuit caelum circumfusum. Illachrymabantur proficiscenti Pontifici multi boni viri, et planctum ac lachrymas confundebat ex omnibus turribus editus sonantis aeris campani ingens clangor. Jam *Bellona* portum *Malamocco* attigerat, cum aliae duae subsidiariae, eidem in comitatum datae minores naves, in eumdem locum conveniunt, administros Summi Pontificis, et qui eum comitabantur, amplissimorum Cardinalium sarcinas vecturae. Harum navium unam ego conscenderam, et in eodem portu, in ipsa *Bellona* jam tertio Suae Sanctitatis pedibus advolutus, ab eo mira humanitate exceptus fui. Vidi ibidem innumeris schaphis ingentem ultro citroque commeantium illustrium virorum, et nobilium Venetarum mulierum numerum, quae cum viris de veneratione tanti Pontificis concertare videbantur. Triduo integro in hoc portu substitit nostra classis, tum quia hujus portus et maris claustra altiora sunt, quam quae praetorianam navim, mediocriter onustam, ejicere valeant, tum etiam quia valido vento opus erat ad classem e portu expellendam. Tandem schapharum non exigua multitudine, praetorianam funibus trahentium, e portu provecti, die X. Junii altum tenuimus, et illo quidem die in societate Sacri Senatus navigavimus. At inclinato vix Sole, atra tempestas in mari suborta, navigia disjecit, et nos quidem valido et adverso Austro afflanti semper obnitentes, e decumanis maris fluctibus labore et sudore eluctati sumus, atque die XII. Junii in Pisauri portum appulimus, *Bellona* autem sua mole velificationi ineptior, altis concussa undis ad *Histriae* oram in portum *Quietum*

vi ventorum delata fuit. Subsidit heic tandem ferocia maris, et jam soluta nave, tranquillo salo navigatum est usque ad XVII. ejusdem mensis lucem, qua Summus Pontifex Pisauro subvectus e navi exscendit, et inter Caesareas equitum cohortes, ac infinitae plebis gestientis laetitiae signa Pisaurensis Episcopi aedes ingressus est. Non est heic locus diffusiori narratione Pontificis iter ad S. Urbem prosequi, atque hoc unum commemorare sufficiat, *Pisaurum* ordine et elegantia suorum civium, *Fanum* et *Senogalliam* florido platearum apparatu, *Anconam* Austriaci militis decore, tormentorumque bellicorum immani fragore, *Lauretum* nocturni luminis claritate in Summi Pontificis ingressu decertasse, et palmas tulisse. In hoc maritimo itinere Stephanus Cardinalis, individuus PII VII. P. M. comes, qui Eum in his maris molestiis sua eruditionis copia et amoenis colloquiis plurimum recreabat, pedum tumorem contraxit, quem ille Romae adhibitis pluribus balnaeis depulit. Quis, et quid *Papa* esset, in Histriae ora, dum *Bellona* in portu *Quieto* anchoras jecerat, se didicisse lepide dictitabat; nam cum ille locus paucis humilibus casis sit consitus, ac propemodum desertus, sparso de Pontificis adventu inter paucos piscatores rumore, tam celeriter ea regio hoc laeto nuncio completa est, ut exiguo duarum horarum spatio prope infinita populi multitudo e scopulis, e rupibus et sylvis eruperit ad Pontificem invisendum, et filialibus obsequiis, ac multis laetitiae signis concelebrandum. In hoc inculto et deserto Histriae portu Stephanus Borgia, quem ne quidem navigando litterarum stimulus deseruerat, in ipsa praetoriana navi nobili Viro D. Bartholomaeo *Vergottin* auctor fuit, ut is suum opusculum manuscriptum de *Parentini* Episcopi jurisdictione in lucem ederet; quod ille fideliter executus est, vulgavitque anno 1801. Venetiis opus inscriptum: *Del più vero primo Titolo giurisdizzionale de' Vescovi di Parenzo nel Distretto di Orsara*. Venezia 1801. in quarto. Venetiis celebrata sacra comitia, et totum hoc maritimum PII VII. P. M. iter primis et rudibus lineamentis descripsit Stephanus Cardinalis eo animo, ut aliquando curis solutus, de iis elaboratiorem commentarium litterato exhiberet Orbi. Praelegerat is certe mihi ex suis adversariis, in quae ille omnia diligenter retulerat, plura notatu digna monumenta, que in superstitibus ejus schedis adhuc delitescere arbitror. Sed enata de ineunda illius bonorum haereditate quaestione, in quas manus hae schedae delapsae sint, prorsus ignoro. Patavii is artificialem comam deposuit, et naturalem capillum alere coepit, quem acu comatoria in unum cincinnum crispabat; unde orta est difficultas, veram viri imaginem inveniendi, quod hoc tempore priores formae eum falso capillitio ornatum exhibeant, posteriores vero ob insignem viri modestiam admodum sint rarae; depingi enim noluit, quamvis et a pictoribus,

et ab amicis anxia sollicitatione ad id præmeretur. Unam dumtaxat posterioris formae imaginem, prototypo valde accedentem, ego uno ante illius obitum anno extorsi, quam in aedibus S. Pancratii Romae asservo. Ab hac desumpta sunt ectypa, quae nunc in urbe circumferuntur.

CAPUT VI.

Stephanus Cardinalis iterum Romae. Ejus novi labores et munera publica.

Solemni pompa Urbem ingressus est Pius VII. die III. Kal. Jul. anno MDCCC. Fuit Roma illo temporis intervallo, quo post Pii VI. P.M. discessum Pontificia administratione caruit, variam dominationem experta, nam primo quidem paruit Gallis, et qui sub eorum signis militabant, Polonis, deinde populus romanus, spe libertatis sollicitatus, romanam erexerat Rempublicam, sub qua luctuosa accidit Urbis depopulatio. Rapacibus et callidis Quaestoribus Consulibusque, posthabito communi bono, avaritiam suam explere conantibus, omnis publici regiminis summa in rapacitatem, in furta, latrocinia, atque in horridam *Anarchiam* prolapsa est. Nemo crederet, catè, vel per vim tentatam fuisse honestissimarum familiarum fortunam et bona, sacras spoliatas et eversas aras, rapta et in profanum usum conversa sacra vasa, fusa turrium ingentia aera, fracta et mutilata Nobilium gentilia insignia, suffossa et disjecta sacella, impias et sacrilegas manus ipsa excidisse defunctorum cadavera, et sepulcra, nisi hujus horrendae depopulationis hodiedum extarent rudera et monumenta. Extant illa sane hodiedum in urbe sancta, eaque non a Barbaris aut Scythis congesta, sed a civibus suis, qui sapientes, lumine *regenerationis* perfusi, atque insignes Philosophi et Patriae amatores censeri et dici voluere. In tantum eos devexit superbia, irreligio et mentis caecitas, ultima a Supremo Numine hominibus superbis irrogata poena, ut dum iniqui et reprobi essent, justi tamen et sapientes haberi vellent; quod quidem, teste apud Plutarchum *Platone* (10), extraemae injustitiae stigma et signum est. *Anarchiam* secutus est plebis gemitus, annonae caritas, et miserrima paupertas, quae non tantum viles et plebejas oberravit et oppressit casas, sed etiam in decoras nobilium penetravit aedes. Videbantur plateae et viae publicae pauperum, languidorumque catervis oppletae, et ubique oberrabant, non homines, sed fame et macie attenuata hominum simulacra. Hanc annonae caritatem advectis e

(10) Apud Plutarchum Comment. *Quomodo possit Adulator ab amico dignosci*. Plato ait, extremae esse injustitiae, ingestum videri, neque esse.

Sicilia frugibus temperavit Clementissimus utriusque Siciliae Rex Ferdinandus IV., qui bis Urbem victor ingressus est. Hujus principis Praefecti et Duces Romae rerum potiebantur, dum novus Pontifex Urbis portas subivit. Ergo Romani belli calamitatibus attriti et variae dominationis discrimen in se ipsis jam probe experti, tandem aliquando liquido intellexerunt, quam varia et dispar esset conditio et status inter benignum Pontificis regimen, et imperia ab exteris advecta. Quamobrem vix dici potest, quanto animi ardore, quam calentibus desideriis et votis universus populus veteris pontificiae dominationis reditum in urbem exoptaverit. Profectò dum novus Summus Pontifex portam *Flaminiam* inspectante omnium ordinum multitudine ingressus est, is incredibili plausu, oculis, desideriis, et acclamationibus exceptus fuit. Videbatur populo verus Pater advenisse, qui uno momento omnibus suis necessitatibus satisfaceret, minime cogitanti, et illum orbum, atque omnibus praesidiis nudum, ab exilio redire. Prima et summa novi regiminis cura fuit, inedia et fame confectis, eo quo potuit modo, alimenta subministrare. Sed quae providentia, auxiliumque ferri potest, urbi et provinciae penitus exhaustae et direptae? Praesens consilium fuit, exquisito virorum delectu Congregationem *Oeconomicam* instituendi, cui Summus Pontifex *Stephanum Borgiam* praefecit. Hujus Sacri Senatus consilio, diligentia et auctoritate res frumentaria, agrorum cultura, publica civitatum debita et damna, commercii solertia, et universae S. Petri ditionis status et rationes fuerunt exploratae, jura Principis restituta, rationaria imperii confecta, et singula in novam, melioremque formam redacta. Rediit ad creditores pars illius aeris, quod ex publicis, aut privatis contractibus iisdem debebatur, advecta fuit in urbem annona, suppressa et proscripta periit illa ingens numorum aereorum colluvies, eique sapienter ubique substituta argentea moneta, valore, pondere, metalli puritate, Principis typo insignis. Prospexerunt iidem sapientissimi Patres publico Pontificis aerario tributis, vectigalibus, et portoriis ex aequo constitutis, et nè imposterum aliquod glisceret illius exhauriendi periculum, divertendis in plebis alimenta reditibus, concessa fuit omnibus, et voce praeconis annunciata publica comerciorum *libertas*. Hac ratione increvit populi industria, et in urbem advecta est omnium rerum copia. Nec obstant huic sapientissimo decreto, et ingenti exinde mananti publico emolumento à multis improbis hominibus imposita majora rebus praetia, cum longe pejus sit ex solertiae defectu et otio, totam urbem fame et inedia affligi, quam in omnium rerum abundantia, paucos, qui laborem aversantur, sua culpâ perire. Extant in hanc novi regiminis formam latae optimi et maximi Pontificis sanctiones, aerario publico Praefecti edicta, quin immo varia ipsius amplissimi viri, Stephani Gardi-

nalis nomine in urbe promulgata decreta . Is est , qui hujus publicae oeconomiae rationes , a variis civitatibus et collegiis advenientes supplices libellos , in rebus arduis enascentes difficultates sacro coetui proponebat , et quid accurata trutina expendendum , ac omnium suffragiis decidendum esset , Cardinales socios edocebat . In hac immensa rerum et scriptorum farragine herculeis viribus , et exquisita mentis acie opus erat , et dexterrimus quisque laboribus fractus hanc provinciam a se removisset , nisi ea Stephanum Borgiam , virum ab ineunte pueritia duro labori , et virili patientiae assuetum , ac si ita dicere fas est , Veliterno *Volscorum* robore praeditum , rectorem nacta fuisset . Tres sunt liberi commercii pestes ; vendentium collusio , monopolium , et summa , eaque arbitraria rebus venumeundis pretii impositio . Haec ultima temperata fuit regula , a fertilitate agrorum , a rerum ubertate , et sumptuum gradu deducta et stabilita , quae certè in quovis prudenti regimine locum habere debet , et pubblica auctoritate fulcienda est , ne pauperes a potentioribus arbitrio suo vexentur et opprimantur . Ad monopolia evertenda , et insatiabilem mercatorum avaritiam coercendam , Stephanus Cardinalis proposuerat erigendas auctoritate Principis cumeras et granaria publica , in quibus ea frumenti copia justo pretio venumdanda extaret , quae mercatores ab iniquis pactionibus et monopoliis cohibere posset . Et sane quamvis hoc consilium prima facie quibusdam non arriserit , attamen postea eventus docuit , stante libertate commercii , supremi alicujus ditionis moderatoris curam in eo stare debere , ut improborum hominum avaritiam sua singulari providentia , legibus , et poenis perquam severè coerceat , et impugnet . Quis nescit , boni oeconomi et Reipublicae moderatoris officium esse , ut semper in oculis et mente propositam teneat beatam civium vitam , quae *Cicerone* teste (11) in illa urbe consistit , quae a praepotentium vexationibus est libera , opibus firma , copiis locuples , gloria ampla , et virtutibus honesta . Certè in his publicae utilitatis principiis continuò versabatur Stephani animus , et quia natura sua erat candidus , ingenuus , et verax , numquam artificii suspicio minuit illius authoritatem et fidem . Vir omni dolo et simulatione vacuus , nullam aliam politicam scientiam et artem admittebat , nisi eam quam ex sacris litteris didicerat , et rectus ipsius animus dictabat . Quo factum est , ut in eum incresceret populi romani fides , contremisceret callidorum hominum artificiosa rapacitas , et quod alios fabulis ac dicteriis aspergit invidiosum publicae oeconomiae rectoris munus , illi in perpetem et summam moderationis , justitiae et prudentiae laudem cesserit . Arrodebat quorumdam animum caeca quaedam ira et indigna-

(11) Ad Atticum lib. 8. ep. 11.

tio, quod Stephano impellente, sublatis Procerum privilegiis, ad romanae urbis portas aequale ab omnibus exigeretur portorium, nemine, et ne quidem purpuratis Patribus exceptis. Sed non consideraverant isti homines has exemptiones officere Principis aerario, bono civium exemplo, et urbis aequae moderationi, quae communi jure postulat et praecipit, ut civium damna et emolumenta ex aequo dividantur, et aequaliter ferantur. At vero ex adverso gliscebat aliorum in Stephanum Cardinalem amor et fiducia, qui ob raram viri fidem et aequitatem omnia sua consilia, et intima animi sensa in illius sinu collocabant. Horum arcana is numquam prodidit, memor illius Isocratei moniti: Μαλλον τήρει τὰς τῶν λόγων, ἢ τὰ τῶν χρημάτων παρακαταθήκας, *fidelius serva deposita verborum, quam pecuniarum*. Et haec arcani tenacitas in causa fuit, quod is in propositis a Principe quaestionibus et dubiis, vel ferendis in sacro Senatu suffragiis, nunquam alios palam consuluerit, sed ipse per noctes atque dies libros volutando sua suffragia et responsa per semetipsum doctissime elaboraverit, et descripserit. Et hoc quidem, mehercle, prudenti consilio, nè scilicet in urbem venalem, et sermonum avidam sui animi sensa prodirent. Quod si aliquando is a suis Collegis opinione dissensit, dissensit autem saepius, suffragium, sententiamque suam optimis documentis instructam, ipsemet ad Summum Pontificem deferebat, et pro veritate, pro populo, pro S. Sedis utilitate et decore eum candide et ex animo condocebat. Ex qua viri sincera, integra, et pura fide illud accidit, quòd Pontifex Maximus illum libenter audiret, magni faceret, et suam in eo fiduciam collocaret (12). Perferebantur a Monte Quirinali in aedes Stephani Cardinalis, quas a praenobili viro Marco Sitico Duce ab Altemps locatione conduxerat, innumera epistolarum et scriptorum volumina, in quibus gravissima Germaniae et Galliae ecclesiarum negotia et dubia continebantur. Exquisita mentis acie, magna solertia, et summa prudentia iis respondendum erat. Pauco temporis intervallo evolvendi erant plures ecclesiastici libri, canones, Pontificum decreta, et vetera Ecclesiae historica monumenta, ut quid fas aut nefas esset, liquidò statui posset, et ex veteri Ecclesiae disciplina, idoneae responsiones ac rescripta concinnarentur. Praestabat hoc alacriter Stephanus Cardinalis, et ut arcana consilia atque clandestina religionis negotia expedire, et sine dispendio et jactura publicae oeconomiae, cujus is curator erat, usquequaque perficere posset, somno assuevit lenissimo et brevi, cibo sobrio et parco, labori antelucano, quem ille provecta die quiete corporis, aut levioris momenti occupationibus temperabat, ne mens,

(12) Patet hoc ex Chirographo Pii VII. anno MDCCCIV. die XII. Maii ad Stephanum directo.

et corporis vires immodicis laboribus exhaustae rebus gerundis ineptae redderentur. Cum is animo esset defaecato, et ab omnibus fallaciis et insidiis immuni, primum quemque virorum litteratorum aut amicorum, qui eum frequentabant, blandis sermonibus complexus, facetiis suis adoriebatur, et urbanis salibus perfricabat; quo ludi genere, ipsi valde familiari, ipse se a mordacibus curis, et animi defectionibus cito, facileque expediebat. Nec parum eum juvit ad res strenuè et solerter peragendas ingens ipsius, robusta, et felix memoria, quà tenacissimè ea omnia retinebat, quae is aliquando legerat aut audierat. *Bibliothecam ambulantem* eum appellabant litterati viri, et ex ea ille protinus, ut aliquid ab illo quaerebatur, locos, paginas, libros, editiones, et monumenta depromebat, quibus eorum quaestionibns cumulatè satisfaciebat. Bibliothecam suam, undecim millia voluminum complectentem, quam ego ipso jubente, post nostrum in urbem reditum in classes et ordinem redegeram, ipse paucis post diebus pervertit, et selectis in frequentiorem suum usum libris, ita volumina inter se confudit, ut a nemine facile invenirentur. Hoc eo consilio illum fecisse arbitror, ut ab ipso penderent legere volentium vota, quibus ipse per se satisfacere volebat, exhibendo illos libros, quos ipsi sine illius adminiculo frustrà perquirebant. An eum etiam idcirco librorum ordinem pervertisse dici nequit, ut furta litteraria impediret in illa sua insigni bibliotheca, ad quam fere omnibus aditus patebat, et cujus custos is ipsemet esse voluit, postquam ille certò compererat, aliquos libros insalutato custode ex ea jam ablatos fuisse? Huc certè refertur illa ipsius cura, ne lecturi bibliothecam ingrederentur longo pallio humeris injecto; et ut inde exituri rationem redderent repositi in suum locum et scrinium libri.

Alterum publicum munus, quod Stephanus hoc eodem tempore praeclarè obivit, fuit praefectura S. Indicis Congregationis. Ad puritatem Catholicae Religionis integerrime tuendam, et castos mores cautè servandos jam inde a Concilii Tridentini tempore Summi Pontifices sacrum in urbe coetum exquisito doctorum virorum delectu instituerant, qui prohibendis, purgandis et castigandis perniciosis libris suam operam navarent. Accusatorio et armato animo huic coetui et institutioni semper obnitebantur suis doctrinis prurientes sophistae. Garrulitate eorum admissa fuit primo Amstaelodami, deinde in Galliis, aliisque Europae provinciis typographiae libertas, atque exinde impune serpere coepit novarum opinionum scabies. Populus, qui teste *Isocrate* perarò veritate, et fere semper opinione ducitur, hanc scabiem facile admisit, indeque natum est *regenerationis* desiderium; et quod ex collisione mendacii et veritatis sequitur, in plerisque Europae provinciis subortum est cruentum sophistarum bellum, monstrum

ingens, horrendum, atrox, et cui rationis lumen ademptum. Non crederem, trium annorum spatio amplius decem mille improbos libellos ab extera manu in quamdam urbem submissos fuisse, ut hoc bellum et novarum opinionum incendium promoveretur, nisi vir quidam spectatae virtutis et honestatis, ejusdem urbis censor, hoc me certis argumentis condocuisset. Pergant jam boni Principes, si possunt, patriae religionis integritatem, et castos populi mores tueri, saluti, prosperitati et tranquillitati regnorum suorum prospicere, dum tam perniciosa lues fere omnem, qua late patet, Europam infecit. *Est vitium et igne, et ferro violentius* (13), et nisi principiis obstes, serò medicina paratur, dum mala per longas iuvaluere moras. Quamobrem sapientissimo consilio Romani Pontifices S. Indicis Congregationem in urbe instituerant, cui tandem anno MDCCLIII. Benedictus XIV. in sua aurea Constitutione: *Sollicita ac provida Romanorum Pontificum Vigilantia*: excellentem methodum praescripsit in examine et proscriptione librorum servandam. Huic S.Congregationi Stephanus Cardinalis jam ab anno 1797. praefuit, sed ob dispersa sub romana *Anarchia* illius membra numquam aut coetum cogere, aut perniciosorum librorum censuram ac proscriptionem aggredi potuit. Nemo illo indulgentior fuit in facultate libros prohibitos legendi concedenda, dummodo de legentium probitate et fide illi legitimè constitisset. *Curiositatem* magnorum peccatorum matrem esse dicebat; cui non parum consultum esse arbitrabatur, si froeno aliquo injecto cohiberetur, cum funditus evelli, et domari non posset. Dolendum est, eum longiori tempore hoc munere perfungi non potuisse, is enim omni doctrina probè exercitatos viros jam delegerat, quorum opera et virtute improborum librorum perniciem e Republica Christiana depulisset. Praesentia et opportuna remedia semper praevalent consultationibus longis, quae dum vix finem inveniunt, serpit interea malum, cui mederi aegre potest, postquam venenum per omnes artus est diffusum.

CAPUT VII.

Stephani Cardinalis Museum Borgianum Velitris.

Ad ultimos tres Stephani Cardinalis vitae annos devenimus, et ad hos referenda est summa perfectio celeberrimi Musei Borgiani Velitris. Avitae diligentiae, et Borgianae genti familiari in colligendis antiquis monumentis studio insistendo, Stephanus jam anno MDCCLXIX. suo Museo in formando, augendoque primam admovit manum, et in illud infer-

(13) Plutarchus in fragm. An vitiositas ad infelicitatem sufficiat.

re adlaboravit, quidquid ad novam et veterem gentium historiam, ad totius orbis geographiam, ad populorum idiomata et mores, ad regum et urbium numismaticam, ac denique ad universi orbis religiones spectat. Hoc insigne studium, hunc sublimi ingenio et nobili animo dignum ardorem is non antea posuit, quam ille vitam cum morte commutaret. Nos viri spectatissimi vitae synopsim scribentes, in longam hujus locupletissimi Musei descriptionem evagari non possumus, sed contractiori quà licet brevitate rei summam exequi conabimur. Dividitur Museum Borgianum in decem classes, quae monumentorum varietate et copia se invicem complectuntur, et tamquam catena quaedam, ex variis annulis confecta, ex una classe in alterius cognitionem ducit, per partes omnium gentium religionem, mores, idiomata, historiam, mythologiam, geographiam, artes atque scientias commonstrat, atque in unam rerum summam ascendit, ex qua quis certam, aut probabilem antiquitatis doctrinam, usum, et rationem reddere possit. Est ergo Museum Borgianum Velitris armamentarium quoddam, ex quo adhibita diligentia, studio, mentis acie, et judicii praestantia quaevis arma ad veritatem stabiliendam, atque ad mendacia profliganda depromi possunt.

I. Est Aegyptia classis. Ad hanc referuntur membranae, seu codices ex membranis collecti, *Memphitici* CXXXIII., *Basmirici* III., *Sahidici* CCCXXV.; quos in ordinem redegit, magna ex parte interpretatus est, et doctis annotationibus illustravit Georgius Zoega, Danus. Opus hoc addito ubique textu *Copto-Thebaico* typis S. Congr. de Prop. Fide jam editum est, folia, ut ajunt, complectens amplius centum sexaginta, dempto frontispicio, quod eruditissimus auctor necdum suo operi apposuit ob litem inter S. Congr. de Prop. Fide, et gentem Borgiam exortam de ineunda Codicum Mss. haereditate. Membranas, seu fragmenta manuscripta, charactere *Copto-Thebaico* universim numerat hoc Museum DCCC., qui numerus extat in opusculo Cl. viri *Stephani Borson*, monumenta Musei Borgiani recensente, et auctoritate ipsius Stephani Cardinalis confecto. Eminet in his membranis fragmentum *Evangelii S. Joannis* Graeco-Copto-Thebaicum saeculi IV., quod mira eruditione dilucidavit Augustinus Ant. *Georgius*, Eremita Augustinianus, Romae an. 1789. in quarto. Doctam suam operam in his sacris *Memphiticis* et *Sahidicis* membranis edendis et illustrandis etiam navavit *Fridericus Munter*, Professor Hafniensis, quin et ipse Stephanus Cardinalis, cui debemus excellentem illam dissertationem de *cultu S. Coluthi*, ex Aegyptiorum praecipuè Synaxario collectam, quae inserta est, alteri Georgiano operi de *Miraculis S. Coluthi et Reliquiis S. Panesniv*, Aegyptiorum Martyrum, quod edidit Romae anno 1793. in 4. Huic operi eruditus auctor meo nomine suppresso ad pag. CCI. longissimam

et acerbissimam affixit velitationem, quae illuc tam apte, quam pugnus ad oculum, refertur. Huic velitationi ego respondi *Dissertatione de Veteribus Indis*, in lucem prolata Romae an. 1795. Ex his Borgianis membranis colligitur, tres in veteri Aegypto dialectos usu ecclesiastico receptas fuisse, nempe *memphiticam*, *sahidicam*, et in his *mediam*, quae ex illis coaluisse videtur. Summopere expetenda est interpretatio inscriptionis trilinguis, nostris diebus repertae in oppido maritimo Aegypti *Roseta* nuncupato, cujus insigne ectypon graecum ediderunt Angli. Sane cum in exemplari graeco vulgaris aegyptiae dialecti in eodem monumento adhibitae mentio occurrat, videndum est, an haec lingua cum tribus a nobis laudatis aegyptiis dialectis aliqua affinitate conjungatur. Ex Aegypto et Syria nobis allata sunt exemplaria Veteris Testamenti, *Samaritanus Pentateuchus* a Petro a Valle P. Morino Parisios transmissus, *quatuor Evangelia* lingua Coptica eleganter et ab antiquo descripta; quae R. P. de Sancy Constantinopoli Lutetiam attulit, exemplar alterum Alexandrinum *Pentateuchi Samaritani*, ac denique, ut alia innumera silentio praeteream, codex aegyptius celeberrimus Vet. Testamenti, quem *Ben Ascher* correxit, et *Maimonides* descripsit (14). Nihil itaque mirum, si Stephanus Cardinalis suas curas in Aegyptum, veterem errorum, et sacrarum veritatum magistram, direxit. Illius opera Museum Borgianum possidet DXXIII. monumenta aegyptiaca fossilia, ex quibus multa hieroglyphicis notis sunt distincta. Enitet in his arca ex granite rubeo sacris litterarum formis conspicua, quam olim Cl. Niebuhr in suo Itinerario descripserat. Gemmae aegyptiacae sunt CCCCXII., in quibus quinquaginta scarabaei figuris hieroglyficis insignes. Adde sculptilia monumenta quamplurima ex aere, plumbo, ebore, et ligno, quorum aliqua coloribus tincta. In his numeranda sunt monumenta Christiana, graecis et copticis litteris praeclara, quae singulari commentario illustrari merentur. Numi Imperatorii aegyptii sunt amplius mille et octingenti, quorum longam seriem Alexandrina eruditione refertissimo descripsit libro Cl. vir, Georgius Zoega. Is ipse est, qui hujus aegyptiacae classis confecit catalogum manuscriptum, qui publica donari luce meretur. Fossilia aegyptiaca censoria quidem Mineralogiae cognitione claro, sed rudi et fossili stylo descripsit Gregorius Wad, Danus, adnotationes autem adjecit idem Georgius Zoega. *Wadio* litem moverunt illi, qui a systemate *Werneriano* dissident. Haec collectio non parum aucta est postremis Stephani Cardinalis cu-

(14) Confer librum inscriptum: *Antiquitates Ecclesiae Orientalis, Clarissimorum virorum* L. Allatii, Luc. Holstenii, Joh. Morini, Abr. Ecchellensis, Nic. Peyrescii &c., *dissertationibus epistolicis enucleatae*, Londini, 1682. in 8., et *Johannis Jonstonii* D. M. appendicem pag. 17. de *Libris Sacris Vet. Test.* ad schediasma de *Festis Hebraeorum et Graecorum*. Vratislaviae 1660.

ris, quas ne in ipso quidem suo exilio ex animo dimiserat; nam in itinere suo Patavino is ex benevolentia amicorum suorum acceperat tintinnabulum, sigillum ex aere, et felem aegyptiacum, quoddam musicum instrumentum pulsantem, ex testacea compositione, quam nostri *pasta* vocant, conflatum. Meminit harum rerum Stephanus in suis litteris anno 1793. Vindobonam ad me datis. Quam locuples et rara sit haec aegyptia classis, condocent nos viri harum rerum probè periti, *Dolomieu*, *Wad*, *Petrinius*, et *Johannes* Comes *Potockius*, qui in uno Museo Borgiano integram edisci posse lithologiam aegyptiam liquido affirmant, et quid artifex natura in illa orbis parte aliquando operata sit, haud obscuro indicio deprehendi ajunt (15). Et *Potockius* quidem in praef ad suas *Manethonis* dynastias an. 1803. Florentiae editas ad Emum Stephanum Card. ait: *V. E. me tendoit la main dans la carriere difficile de la haute Antiquité. Je revenois alors d' Egypte, et Je retrouvai* Memphis *dans votre Museum de Velletri*. Non exiguam horum monumentorum partem orbis litteratus debet diligentiae illustrissimi viri, D. Antonii, Comitis de Cassis a Pharaone, nunc S. C. M. ab intimis consiliis, et Aquilejae Ducis, Tergesti spectatissimi incolae. Is dum Alexandriae in Aegypto telonio et vectigalibus praefuisset, vetera aegyptiaca manuscripta, codices, et monumenta per Arabes conquiri, et Alexandriam convehi curavit, unde is illa navibus imposita Liburnum transmittebat, ex quo portu, curante Stephano Romam et Velitras advecta fuere. Non pauca et ipsi orthodoxae fidei Praecones Romam attulerunt, ex quibus tandem aere et indefessa Stephani solertia coaluit hoc praestantissimum Museum. Noctes ille ducebat insomnes, dum aliquod monumentum adventare comperiebat, et rarò suis aedibus egressus est, nisi alicujus cimelii perquirendi causa. Domi, ad tabularium, inter litteratos viros, inter ipsa omnis generis antiquitatis monumenta omne illius delicium, et pura animi voluptas, quam ex inspectis, et manu contrectatis omnium gentium monumentis capiebat. Difficilis ad praestandum assensum, cautus ad credendum, inter viros litteratos saepenumero aemulationem et pugnam excitabat, ut ex erudita concertatione quaestionis definiendae veritas eo lucidius patesceret.

II. *Volsca* classis numerat multa anaglypha ex terra coctili confecta, quae varios veteres *Volscorum* ritus ad religionem et matrimonia spectantes exhibent. Sunt ex eis non pauca variis coloribus tincta, quod magnopere eorum pretium auget, cum eruditis viris lucem praebeant, veteres illos ritus accuratius examinandi et describendi. Re-

(15) Wad, *Fossilia Aegyptiaca Musei Borgiani Velitris*, Romae 1794. in *praef.* pag. VI.

perta fuere an. 1784. intra urbis Veliternae, olim *Volscorum* Metropolis, septa, atque ab eximio analecte, Johanne Paulo Borgia, nostri Stephani germano fratre, atque a strenuo viro, Camillo Borgia, ejus filio, utroque Equite Hierosolymitano, in patrium Museum Veliternum illata. Praeclaro opere haec descripsit et illustravit Doctissimus vir, Philippus Angelicus Becchettus, Ord. Praed., nunc Civitatis Plebis Episcopus, quod inscripsit: *Bassi rilievi Volsci in terra cotta, dipinti a varj colori, trovati nella Città di Velletri*. Roma 1785. in fol., annexis septem tabulis aeri incisis. Laminam aeneam *Volscam*, antiquissima inscriptione, sacrum piaculare, et Magistratum *Veliternum* memorante, insignem, ego exhibui in mea Dissertatione: *De latini sermonis origine, et cum orientalibus linguis connexione*, edita Romae 1802. p. VIII. Veterem numum ad hanc eamdem classem pertinentem descripsit doctus vir, Dominicus Sestinius, qui, dum de Museo Borgiano Veliterno sermonem infert, illud nuncupat, *Uno dei più illustri Musei di tutta l' Europa*. Hunc eumdem numum scite interpretatus est Ennius Quirinus Visconti. Minervae Veliternae descriptionem accuratam adornavit an. 1797. Joseph Piazza. Tacitus praetereo alia monumenta Volsca, quibus eruendis et illustrandis Stephanus Cardinalis suum aes et operam impenderat. Intemperantem nemo illam opinionem esse dicat, quae fert, vetustissimos *Volscos*, a Romanis tantopere lingua, moribus, et ingenio dissidentes, veterum Celtarum seu Germanorum genus esse. Germani certe totam Italiam a manipulis Celticis per Italiam sparsis hodiedum *Welsh-land*, id est, *Volscorum terram* nuncupant. Monumenta Volsca civiles et religiosos veterum Volscorum ritus exhibentia, agrestis et dura vetus Volscorum lingua, teste Titinio comico, et Strabone a Latina prorsus diversa, gens ipsa, teste Svetonio Romanis infesta, et celtico robore praeclara, hoc satis evincere videntur. De Celtarum per Germaniam, Italiam, Graeciam, Pannoniam et Asiam migrationibus videri potest eximium opus P. Magni Klein, Ord. S. Bened., Abbatis Gottwicensis, quod inscribitur: *Notitia Austriae Antiquae et Mediae*, tom. 1. *Austriam Celticam ab ultima scriptorum memoria sistens*, typis monasterii Tegernseensis an. 1781. Has migrationes doctissime pro more suo confirmavit vir, magno litterarum damno e vivis ereptus, *D'Ansse de Villoison*, in selectis adnotationibus ad opusculum Akerbladii, *Notice Sur Deux Inscriptions En Characteres Runiques, Trouvées a Venise, et sur les Varanges*, inscriptum, et Parisiis editum an. 1804., in quo ad pag. 32. et seqq. ex Rubruquis, Josaphat Barbaro, Busbeck, et Johanne Podesta scite ostendit, Germano-Gothicas colonias in *Crimèa*, in Tataria ad mare *Caspium*, et flumen *Gihun* protensa, reperiri, quae idioma germanicum

loquuntur. Sed haec nos a proposito avocant : ad incudem est redeundum.

III. Hetrusca classis abundat pateris ex aere, insculptis elegantium figurarum ornamentis praeclaris, quarum sex, ni fallor, inscriptionibus gaudent. Numerat praeterea duo candelabra aerea, CXXXXII. deorum simulacra, duas cistas mysticas, sex parvas columnas, CCLXVI. asses hetruscos, varias urnas, et non contemnendam seriem scarabaeorum. Inscriptiones viam sternunt ad pervetustum primaevae hetruscae gentis idioma investigandum, in quo studio excellit vir doctissimus Aloysius Lantius, qui multa ex his Borgianis monumentis perquam eruditè interpretatus est. Speciminis gratia heic apponere liceat inscriptionem sequentem.



Katuneasul Teurs mi

Catuneatum Hermes sum

Monumentum est hoc Musei Borgiani ex aere, formae lunaris, libras appendens quindecim, repertum in Hetruria in limite aequalis distantiae inter duas urbes, tribus nempe leucis hinc et inde inter se dissitas. Ex quo patet *Catuneates* Hetruriae populum fuisse, eumque *Herma* seu *Termino* ab alio distinctum, separatumque extitisse. Ex omnibus hetruscis inscriptionibus patet, antiquissimam illam gentem a dextra ad sinistram scripsisse, eo plane modo quo vetustissimi Graeci. *Cadmi* Alphabetum hoc ordine fuisse dispositum conjecturae locus est, quod *Cadmus* litteras suas acceperit a *Phoenicibus*, qui a dextra ad sinistram scripsere, ut plerique alii Orientales, Vid. *Herod.* l. v. c. 58. *Jonii* primi ex Graecis fuisse videntur, qui Cadmi institutionem mutaverint, quos secuti sunt *Aeoli*. Vid. Muratori *Thes. Inscript.* tom. IV., d. 2108. Hinc in veteribus Graeciae vasis, quae collegit *Hamilton*, et in variis Graeciae et Siciliae numis ordo et lectio litterarum nunc procedit a dextra in sinistram, nunc a sinistra in dextram. Sunt ergo litterae hetruscae, earumque ordo antiquissimus, et origine sua graecus, ut graecae sunt pleraeque hujus veteris idiomatis dictiones, quod ex monumentis a Doctissimo Lantio illustratis nunc jam indubiè constat. Quare valde miror, quomodo adduci potuerit hesternus scriptor, ut tam liberè ediceret, veteres Hetruscos origine *Celtas* esse. Si ex litteris, lingua, moribus, et religione ducta argumenta aliquid valent, sane sapientius is asserere potuisset, eos a Graecis *Pelasgis* originem duxisse. Retinent illi aliqua sua antiquissima instituta, ut sunt eorum litterae, rudimenta primaevae Graecorum linguae, cistae mysticae, urnae sepulchrales, hypogaea. Alia vel sponte, vel ex usu et consuetudine posteriori cum Latinis et Romanis mutarunt, emendarunt, abolevérunt. Conferri potest Clemens Alex. *Cohort.* ad Gentes n. 5. et 6.

pag. 19. edit. Ven., ubi de veteribus *Etruscis* sermonem infert. Veteres Hetruscorum litteras primus Romae comparavit Stephanus Borgia. De qua re vide p. 6. praef. Amadutianae ad Alphabetum veterum Etruscorum, Romae 1771. Inscriptiones veteres hetruscas agri Perusini collegit et in lucem protulit diligens et eruditus scriptor Johannes B. *Vermiglioli*, Patritius Perusinus, quae fere nihil aliud continent, quam nuda nomina aliquarum veterum Hetruriae familiarum. Causidicum Cortonensem Ludovicum *Coltellini*, qui Ab. *Aloysii Lantii* Hetruscum Alphabetum oppugnat, non moramur, quis enim Lantii Alphabetum invariabile, et numeris omnibus absolutum esse dicat, qui graecae παλαιογραφίας peritus sit, et quas variationes gens graeca in suis alphabetis adhibendis subierit, probe noverit. Legi possunt in hac re: *Observations on the paleography of the ancient Greeks to facilitate the intelligence of their inscriptions, and of them of the Etruscans*.

IV. Graeca classis exhibet unam tesseram hospitalem, quam docte exposuit, et interpretatus est J. Philippus *Siebenkees*, Norimbergensis. II. Multa deorum simulacra ex aere, fragmenta marmorea inscriptionibus insignia, in quibus tabula operé caelato, et sat longa inscriptione praeclara, quam in commodum recte instituendae juventutis illustravit Arnoldus *Heeren*, Bremensis, vir praeclaris editis operibus Reipublicae litterariae notissimus. III. Lampades duas ex aere. IV. Centum et amplius veteres inscriptiones. V. Nonaginta et amplius vasa graeca, figuris, symbolis, et picturis veteres Graecorum ritus et mores exhibentibus illustria. VI. Amplius V. mille numos graecos, Imperatorum, urbium, et graecarum coloniarum memoriam ac gesta referentes. In his rarus et singularis ille numus Caracallae, seu potius *Ulpiae Pautaliae*, Thracum oppidi, quem epistola ad Stephanum Card. scripta et edita scitè illustravit Nicolaus *Schow*. Ex hac graeca classe, velut ex quodam eruditionis promptuario, *Dominicus Sestinius*, *Ennius Quirinus Visconti*, aliique viri eruditi suas animadversiones, et praesidia deprompserunt, ad alia graeca monumenta rite describenda. Haec classis postremis Stephani curis valde aucta fuit.

V. Romana classis continet amplius sexcenta monumenta ex aere, plumbo, ebore, et marmore, deos, animalia, Romanorum civiles, religiosos, et funebres ritus, artes, et mores exhibentia. II. Variam domesticam suppellectilem, in qua *froenum*, quod vir doctrina et virtute ornatissimus *Philippus Invernitius*, causidicus Romanus, peritè descripsit in sua *De froenis, eorumque generibus, et partibus dissertatione*, edita Romae an. 1795. III. Laminas plumbeas pervetustas litteris insignes, multa anaglypha ex terrà coctili, Romanorum artes et ritus ostendentia. IV. Asses ex aere fuso antiquissimos; quorum quatuor sunt rectangulares, unus vero valde rarus, inscriptione *Roma-*

nom insignis. Hujus assis meminit in doctis operibus suis vir celeberrimus *Joseph Eckel*, scientiae numismaticae praeclarus Magister. Sunt in his monumentis romanis pervetusta linguae latinae vocabula, illis prorsus similia, quae in tabula ex aere Senatus Consulti de *Bachanalibus* anno urbis 567., ante Chr. Nat. 166. exarata, occurrunt, ut est: *utei* pro uti, *tabolam* pro tabulam, *consolaretur* pro consuleretur, *plaus* pro plus, *jousissent* pro jussissent, *ibei* pro ibi, *advorsum* pro adversum, *aiquom* pro aequum, *figier* pro figi, *facilimed* pro facillime, *gnoscier* pro cognosci, *suprad* pro supra, *vobeis* pro vobis, *tabelai* pro tabulae, *datai* pro datae, *sient* pro sint. Asservatur haec insignis tabula ex dono Regum Siciliae in bibliotheca seu Museo Caesareo Vindobonae, eaque pererudite descripta fuit a Mathaeo Aegyptio an. 1729. Ex quibus jam patet, quam diversa fuerit lingua et orthographia latina anno 166. ante Chr. Nat. ab illa, quae deinde sub Augusto Romam invecta fuit (16). V. Numerat classis romana seriem ponderum, ex quadraginta sex variae speciei ponderibus conflatam, quorum pleraque ex aere, pauca vero ex lapide constant. Notata sunt characteribus, ponderis vim exprimentibus. VI. Sequuntur sexcentum et amplius romanae inscriptiones, tesserae theatrales ex aere, ebore et osse. VII. Lampades seu lucernae prope infinitae, figuris et symbolis adornatae, ex terra coctili, vel ex aere compositae. VIII. Res culinariae, instrumenta chirurgica et fabrilia, acus comatoriae, sigilla, claves, annuli, ex auro, argento et aere (17). His inspectis nemo inficias ibit, Museum Borgianum Velitris apertum quemdam ludum esse, in quo quis historiam romanam perfectissime ediscere possit.

VI. Indica classis praeclara est sexaginta deorum simulacris ex aere, ligno, ebore, vel stanno conflatis. II. Centum et amplius pictis tabellis, gesta dei *Ramae* et *Krshnae*, variosque Indicos ritus, et mores exhibentibus. III. Numerat ea duo insignia Lararia domestica, quae ex multis valvis plicatilibus composita sunt, et in ultimo recessu seu sanctuario venerabile Numen recondunt, totum quantum auro et gemmis collucens. Haec duo lararia, Indico peniculo et manu depicta, omnes *Ramae* et *Krshnae* dei theophanias exhibent, et fere totius Indicae mythologiae ac religionis summam sistunt. Digna sunt, quae non solum ob mirum et autographum artis opus, sed etiam ad ediscendam et dilucidandam complicatam Indicae gentis mythologiam, nitide aeri incisae in publicam lucem proferantur; quia admodum ra-

(16) Confer meam dissertationem: *De Latini Sermonis origine, et cum Orientalibus linguis connexione*. Romae 1802. *pag.* 13-14.

(17) *Lettre a M. Le Medecin Allioni sur le Cabinet d'Antiquités et d'Histoire Naturelle de S. E. Monseigneur le Cardinal Borgia a Velletri*. A Rome 1796. in 8.

ra sunt etiam in ipsa India similia monumenta, et quae in solis Principum aedibus reperias (18). Accedit capsa eburnea opere caelato, et exquisito scalpri artificio tam praeclare elaborata, ut nihil mollius, nihil delicatius in hoc genere exhiberi possit. Figurae praenitentes *Rà-mae* dei, et *Sidae* ejus conjugis gesta oculis subjiciunt. Inter *Budhae* dei simulacra enitet unum ex aere, anno 1803. Museo illatum, quod argenteis oculis gaudet, et totum quantum arabicis litteris refertum est; ex quo liquet, *Budhae* seu *Mercurii* cultum non tantum Indos, Tibetanos, Peguenses, Siamenses, Sinenses adoptasse, sed etiam veteri alicui arabicae Tribui familiarem fuisse. Profecto Cl. vir *Simon Assemanus* (19) edocet nos ex Abulfaragio, et Ismaele Abulfeda, veteres Arabes multa idola, at Tribum *Asad* singulariter *Mercurium* coluisse, caelestem utique stellam, sed cujus *Budha* seu *Mercurius*, decussatis pedibus et facie oculisque candescentibus sedens, simulacrum est. Clariss. Hager (20) me castigat, quod *Budham* Indicum cum Sinensi *Fo* et *Fo-hi* confundam. Sed ex adverso ipsum Correctorem corrigendum esse censeo, utpote qui *Fo* et *Fo-hi* duas reales historicas personas, non autem entia pure mythologica, allegorica, et conficta esse credit. Aperte pugnant contra ipsum ea, quae de *Fo* et *Budha* docte congessit *Kleuker* (21), nec levioris momenti sunt illa, quae ego attuli pag. 49., et 50. in libro inscripto: *Musei Borgiani Codices Manuscripti*, *Avenses*, *Peguani*, *Siamici*, *Malabarici*, *Indostani*, Romae 1793., ubi ex Sinensi libro *Te King* de *Fo-hy* allegorico et mythologico, non autem vero humano Imperii Sinici Fundatore multa sat acriter disputantur. Addi possent et alia ex *Carolo Maigrot*, Vicario Apostolico *Fokiensi*, viro rerum sinensium peritissimo. Haec non ita dicta sunt, ut lectorem inducere velim ad credendum, laudatum Musei Borgiani *Budhae* simulacrum *Mahumedis* aevo antiquius esse, quin immo ipse ego persuasus sum, illud a recentioribus Mahumeda-

(18) Confer librum inscriptum: *A comparative view of the antient monuments of India, particulary those in the Island of Salset near Bombay, as described by different Writers, illustrated With Prints.* London, 1785. in 4.

(19) Saggio sull' Origine, Culto, Letteratura e Costumi degli Arabi avanti il Pseudoprofeta Maometto. Padova 1787. in 8. p. XXXIII. e seq.

(20) *Description des Médailles Chinoises du Cabinet Imperial de France &c.* à Paris de l'Imprimerie Imperiale An. XIII. 1805. p. 84.

(21) Abhandlungen iiber die Geschichte und Alterthiimer Asiens, Zweiter Band, Riga 1795. §. II. p. 12-24. Alia de *Fo-hi* ego protuli ex Sinensibus codicibus in Systemate Brahmanico pag. 309. in adnotationibus. *Fohi et Mercurius*, ait ibidem auctor, *iisdem symbolis adumbratus est: a Sinensibus quidem* Fohi *per litteras suas et characterismos, ab Aegyptiis vero et aliis* Hermes *per imagines et statuas &c.* Budha et *Dherma* seu *Herma* Amarasinhae unius *Mercurii* nomina sunt.

nis, in Indiam illapsis, ex indole et more Indico, cum arabicis notis fusum et formatum fuisse; constat enim et ignicolas *Parsos* post suum in Indias adventum multa ex Indicis libris et moribus veteri suae religioni adjecisse, et cultum suum primaevum corrupisse. IV. Codices Indici manuscripti sunt numero triginta duo, quos ego longo commentario illustrare compulsus fui, cum ignorantia rerum Indicarum in Europa, et veteres errores, opinionesque falsae meis conatibus se valde opponerent, ipsum denique linguae sacrae, *Samscrta* nuncupatae nomen, Europae incolis antea fere ignotum esset. Durum est in adversa niti, et vera rebus principia ponere, dum docti et indocti garriunt, et veteribus animi praeoccupati judiciis irretiti, veritati obnituntur. Peguanos codices fere omnes Stephano Cardinali donavit vir apprimè eruditus *Angelus Maria Cortenovis* Ord. Cler. Reg. S. Pauli, Utinensi Academiae olim a Secretis. Hos ille acceperat a fratre suo Josepho ab Amato, regni Ava et Pegu Missionario, qui in annotationibus ad *Peg.* codicem *ms.*, qui *Sappachiam*, id est, *liber omnis scientiae* inscribitur, observat: linguam *Samscrta* in regnis Ava et Pegu *Sensacarain* appellari, eaque librum Peguanum, *Lòcaniti* nuncupatum, ~~hac~~ lingua primitùs conscriptum fuisse, ex qua tandem a Talapoinis in linguam *Pàli* conversus fuit. Invenimus ergo libri nomen, qui ex India Orientali in Peguanas oras delatus, et ibi adoptatus fuit. *Lòca* in lingua samscradamica sonat *Mundum*, *nìti* thesaurum, ac proinde libri lemma est, *Mundi Thesaurus*; quod P. Joseph ab Amato ex lingua *Pàli* non satis aptè reddit, dum ait libri titulum significare, *vaso d' oro del Mondo*, id est, *Mundi vas aureum*. Omnes codices Borgianos, Indicos bibliothecae Imperialis Parisinae, Indicos a D. Carolo *Wilkins* et D. *Jones* Societati regiae Londinensi oblatos, aliosque ego in mea Bibliotheca Indica complexus sum, in qua CCCXIII. codices mss. Indici recensentur. Hoc opus absolutum praelo typographico jam jam subiiciendum erat, dum Stephanus Cardinalis in Gallias avocatus est; ac proinde suo e vita exitu omnem hujus Indicae bibliothecae typis edendae spem praecidit. Illi, quibus vita comes fuerit, et sol benignus arriserit, eos conferre poterunt cum codicibus Indicis manuscriptis praedictae societati anglicae oblatis (22), nec non cum *Codd. mss.* Abrahami Hyacinthi *Anquetil du Perron*, quorum catalogum Parisiis adornant DD. Tilliard, fratres librarii (23). Numos Indicos Musei Borgiani ego illustravi in *Systemate Brahmanico*, sunt tamen alii novissime in illud illati, qui secundis curis et animadver-

(22) *A Catalogue of Samscrita Manuscripts presented to the Royal Society by Sir William and Lady Jones, by Charles Wilkins, Esq.* F.R.S. London.

(23) *Notice sur la vie de M. Anquetil du Perop*, pag. 7. a Paris chez Tilliard,

sionibus indigent. Ex iis regni *Nepal* insignia seu scutariam tesseram et litterarum elementa, *Bettiae* regum aliqua nomina, Tibetanas, Malabaricas, Coromandalenses, Peguanas, Siamenses, Sinenses, quin et Japanicas numorum formas facile cognosces: quibus si adiicere velis Indicae classis numos quamplurimos, qui in Museo Caesareo Vindobonae asservantur, Orientalis numismaticae Tractatum scribere poteris insignem, et Reipublicae litterariae utilissimum. Hujus Caesarei Musei Indicos numos ego recensui in mea dissertatione de *Numis Zodiacalibus*, edita Vindobonae an. 1799. Indicae classi addenda sunt peguana pondera ex aere, in cylindri figuram assurgentia, nempe *Tical*, *Tomat*, *Tebe*, *Bisa*, effigie draconis, velut publicae auctoritatis typo insignia, quae pariter in Museo Borgiano asservantur. Nec vero silentio praetereiri debent varia sinica monumenta, in quibus autotypus seu vera effigies Imperatoris *Kien-Long*, viri prudentia clari, et insignis poetae. Adde peramplam tabulam chronologicam Historiae sinensium, cyclo, qui vulgo *Kia-Tse* dicitur, connexam, quam Stephanus Cardinalis usque ad annum XXXIX. imperii *Kien-Long*, seu Christi Servatoris millesimum septingentesimum septuagesimum quartum perduxit, et aeri incisam IV. magnis foliis edidit Romae. Complectitur ea omnes Imperii Sinici dynastias, Imperatorum nomina, et res memoratu dignas. Johannes Franciscus *Foucquet*, Episcopus Eleutheropolitanus eam primus ex sinicis libris latinè reddiderat et concinnaveret an. 1720., cujus laborem prosecutus est Stephanus Cardinalis.

VII. Classis Arabica complectitur Globum Caelestem Cufico-Arabicum, qui cura et impensis Muhamed Alkamel Ajubitae, sexti in Aegypto dynastae ab arabe astronomo *Caissar* nomine, filio *Abi Alcassem Alabraki* nitide delineatus fuit anno Heg. 622., Christi 1225. Hic insignis globus sistit stellas, et earum nomina, zodiaci signa adscribit, caeli mensuram gradibus annotat, et nos aperte condocet, in quo perfectionis gradu scientia astronomica illo aevo apud Arabes constiterit. Illo inspecto Lector vix admirari desinet, cum compererit, quam magnam astronomiae partem cum adjectis stellarum nominibus Europaei ab Arabibus acceperint. Globum descripsit et interpretatus est Simon Assemanus, linguae Arabicae in Seminario Patavino Professor, doctas autem in Arabum astronomiam animadversiones adjecit Joseph Toaldus. II. Numerat amplius XXX. monumenta Arabica ex aere, figuris et litteris *Cuficis*, atque scriptura *Neskhi* conspicua. An *Almosnad* scripturae aliquod specimen iisdem insit, me fugit (24). His

(24) Qui linguarum Orientalium elementa, indolem, et varietatem dignoscere desiderat, adeat Andreae Othonis *Glossarium Linguarum Orientalium octuplex, hebrai-*

monumentis accenseri debent duo vetera astrolabia Coptica, constructione sua singularia. III. Possidet laminas duas, ex aere unam, alteram ex plumbo, utramque vero inscriptione Arabica claram. IV. Centum et tredecim gemmas characteribus insignes, in quibus plures *carneoli* seu *sardae* Plinii. V. Columnam exiguam ex marmore litteris caelatis per eam excurrentibus, quae vel ex eo maximi aestimari debet, quod apud veteres, hodiernosque Arabes hujusmodi monumenta sint admodum rara. VI. Manuscripta arabica quamplurima, alia ex membranis, alia vero ex charta bombacina conflata. VII. Mille et amplius numos arabicos, seu Cuficos, quos scitè descripsit Georg. Christ. Adler, Altonanus, duobus editis voluminibus, quorum primum lucem aspexit Romae an. 1787., alterum Hafniae an. 1792. In utroque elucet mira Adleri linguae Arabicae peritia, qua docte complexus est non tantum monumenta arabica, sed iis adjunxit commentarium in idolum *Drusorum*, quod est vitulus ex aere litteris cuficis refertus, et in eodem Museo Borgiano existens. *Drusus* quidam natione Persa circa an. MXVII. hanc portentosam sectam et religionem in Aegypto instituit, quae hoc vituli simulacrum, حاكم بامرة *Hakem beamróh* nuncupatum, colit. Quid vero gens Drusorum per hoc nomen intelligat, nondum satis compertum est, ea enim quae eruditus Adler ex Mancinio, et libello Borgiano affert, non satis casta et correcta esse videntur. Ampliora, et veritati magis accedentia speramus ab eruditissimo viro Sylvestro de Sacy, qui in bibliotheca Imperiali Parisina detexit tria volumina, illustrandae Drusorum religioni idonea, quibus ille adminiculis jam validior, onus in se suscepit absolvendae Drusorum historiae; quod is litteris suis an. 1801. die 14. Aprilis scriptis Stephano Cardinali annuntiavit. Ex altera ipsius epistola, eodem anno die XXI. Septembris exarata, compertum est, pretiosum illum Codicem *ms.*, cujus lemma est *Lex Drusorum*, quemque recenset Assemanus in sua *Bibl.* V. p. 628., pariter in bibliotheca Imperiali Parisina asservari. His ergo praesidiis amplior et correctior de gente et religione Drusorum historia concinnari potest. Occupat ea gens montis Libani juga, et ex ultimis relationibus perspectum habemus, eam armis et bellica virtute usque ad Euphratem seu *Forat* excurrere

VIII. Classis *Runica* seu borealis numerat septem Kalendaria, in quibus unum ex osse piscis, caetera ex ligno, quae singula festas dies

cum, *Chaldaicum*, *Syriacum*, *Samaritanum*, *Arabicum*, *Aetiopicum*, *Persicum*, *Rabinicum*, Francofurti ad Moenum Ao. 1702. Item ejusdem *Palaestram Linguarum Orientalium*, hoc est, *Quatuor primorum Capitum Geneseos textus et paraphrases Orientales*, *nempe Chaldaicam*, *Syriacam*, *Samaritanam*, *Arabicam*, *Aetiopicam*, *et Persicam*. Francofurti eodem anno typis Martini Jacqueti, in 4.

signis, symbolicis figuris, et runis caelatis exibent. II. gaudet duobus tympanis magicis a Laponiae et Groenlandiae incolis olim in faticinio et ritibus magicis adhibitis. III. complectitur arma, et securres lapideas ac siliceas, quibus agrestes illae boreales gentes utebantur. IV. Eadem arma non pauca ex aere, cupro et ferro fabrefacta. V. Urnas sepulchrales ex terra coctili. De codicibus ligneis, plumbeis, foliis, tabulis osseis et eburneis, atque ipsis *Runis* Danicis et Svecicis, quas a *Rinne*, vel *Runer*, *sulcus*, dictas esse volunt, consuli debet *Chronicon Gottwicense*, tom. I. typis Monasterii Tegerseensis anno 1732. editum. Celebris est numus runicus epigraphe, *Durgut Luntis*, insignis. Extant varia *Runica* Alphabeta: nobis praeplacet Alphabetum *Francisci Junii*, viri Runicae scripturae peritissimi. Runica Musei Borgiani monumenta illustratione carent, nam illa, quam promisit *Christianus Rhamus*, adhuc in obscuro gurgustio delitescit. Ex illa fortassis confici posset, an harum borealium gentium lingua graeco sermoni adeo sit affinis, ut illustris *Jhre* in suo *Glossario Suio-gothico* asserere non dubitaverit, lingnam *gothicam* et *graecam* sorores esse, et nullo alio discrimine inter se differre, quam quod duobus dialectis, ex una lingua Matre procedentibus, inesse solet. Quod quidem ex oratione Dominica, utique antiquissima omnium gentium precatione, quae Runis et variis borealibus linguis excusa prostat, haud confici posse videtur. Pergit tamen ille ex Scythica lingua non solum Germanicam, Svecicam, Danicam, Norvegicam, Islandicam, sed etiam graecam et latinam deducere, in qua re homini, tam multa liberaliter pollicenti, fidem praestabit, qui volet (25).

IX. Classis *Mexicana* numerat multa lignea et testacea idolorum simulacra, forma et figura singulari, ac genti Mexicanae propria. II. Possidet insignem codicem *Mexicanum* ex cervina pelle confectum et plicatilem, 45. rom. palmos longum, figuris et symbolis pictis adornatum, quae invicem ex ordine collata, gentis chronologiam, reges seu duces, vectigalia et tributa, annos steriles, aut fertiles, et caetera fata, quae nationibus et regnis accidere solent, haud obscure tradunt. Exposuit haec vir mihi olim singulari amicitia conjunctus, Linus Joseph *Fabrega*, Mexicanus, praecoci morte Romae nobis ereptus: quod opus ineditum in Museo Borgiano asservatur. Illius in publicam

(25) Huic opinioni obstat *Archaeologus Teuto*, sive *Glossarium Multorum Vocabulorum veterum Teutonicorum Celticorumque Colleetorum ex variis Vocabulariis et antiquissimis Teutonicis Scriptoribus, ex Otfrido et Willeramo, et glossariis Rabani, Keronis, Gassari, Lipsii, &c.*, quod extat in Godofr. Guilielmi Leeibnitii *Collectaneis Etymologicis*, editis *Hanoverae* an. 1717. in 8. cum praef. *Jo. Georgii Eccardi*. Item *Excerpta Meieriana*, quae extant pag. 238., e seqq. in eodem libro.

lucem proferendi vehementi desiderio flagrabat Stephanus Cardinalis, sed dum huic operi se se accingere meditatur, et ipse a morte corripitur. Similem codicem Mexicanum in cervina pelle, colore seu vernice alba perlitum, et figuris exornatum possidet bibliotheca Caesarea Vindobonensis. Numerat iste paginas plicatiles vigintiquinque, id est, simplices quinquaginta, Borgiano Codici fere aequales, sed nitidiores. Hunc codicem *Emanuel* Rex Lusitaniae dono dederat Clementi VII. P.M., a quo is transivit ad Card. Hippolytum Mediceum, quo vita functo, Card. Salviatius, illius testamenti executor codicem dederat Cardinali Capuano, et hic Bibliothecae Caesareae.

X. Classis Christiana monumenta complectitur, et I. quidem multa vetera vitrea vascula et fragmentà picturis praedita, atque ex cemeteriis et hypogaeis romanis eruta. II. Laminam plumbeam ad cultum et memnosinon S. *Genesii* spectantem, quam docta dissertatione illustravit P. *Irenaeus Affò*, Ord. Min. Obs., Historiae in gymnasio Parmensi publ. Professor. III. Varias cruces, veteres annulos, calices, lampades, fragmenta eburnea inscriptionibus preclara, lapides et saxa opere caelato permulta. IV. Centum et amplius inscriptiones christianas. V. Ducentum, et plura sigilla ecclesiarum, episcoporum, et sacerdotum omnis aevi. VI. Septuaginta et amplius veteres pictas imagines. Valent haec omnia quam plurimum ad Historiam Ecclesiasticam illustrandam, et nemo est tam insanae mentis, qui non perspiciat, Stephanum Cardinalem haec labore et studio suo in Ecclesiae dignitatem et amplitudinem contulisse.

CAPUT VIII.

Musei Borgiani Monumenta Extra Classes Vagantia.

Sunt alia quamplurima Musei Borgiani monumenta, quae in classes cogi non possunt, quia solivaga comitum praesidio destituuntur. Et primò quidem memoratu digna occurrunt Manuscripta et codices *Sabaei*, quorum lemmata heic subjungo. I. Liber Johannis. II. Liber Spirituum. III. Pars librorum *Divan* et *Sidra Aden*. IV. Pars libri *Cholasteh*. Hujus ultimi specimen a Stephano Cardinale petierat vir doctissimus *Sylvester de Sacy*, Instituti Scientiarum Parisini praeclarum ornamentum, ex quo nobis compertum est, in bibliotheca Imperiali Parisiensi asservari sequentes mss. codd. *Sabaeos*: nempe legem Scriptam *Adami*, opus compositum in *Howarza* ad flumen *Harka*, anno 1509. aerae Arabicae. II. asservatur in eadem Liber *Adami*, scriptus in *Makram* ad fl. *Harka* an. 868. aerae Arabicae. III. Alter liber im-

perfectus, exaratus in *Makram* ad fl. *Samani* an. 1100. aer. arab. IV. Scriptus in *Makram* an. 1042. aerae arab. Hi codices exemplaria sunt libri *Sedrlàdam*, seu libri *Adami*, quorum prima pars vocatur *Sidra* seu lectiones, vel liber *Angelorum*, altera vero nuncupatur discursus seu *Rationarium animae*. Dubium exsurgit, an Borgianus liber *Spirituum*, et *Sidra Aden* non idem sit, qui heic a Clariss. d. Sacy refertur. Neque dubio vacat, an duo volumina lythurgica ejusdem imperialis bibliothecae, unum nempe scriptum in *Hemete* ad fl. *Koruu* an. heg. 1122., alterum Colbert. n. 4108., reg. 309. D., exaratum in *Camalava* an. heg. 978., cum cod. seu libro *Cholasteh*, in Museo Borgiano asservato, conveniant. Quae res si rite exploretur, habent viri eruditi campum securum et apertum singularis illius nationis, quae *Christianorum S. Johannis* titulo gloriatur, originem, religionem, ritus, erroresque cumulatissimè describendi. De his narrationem perbrevem jam anno 1652. contexuit R. P. *Ignatius a Jesu*, Carmelita Discalceatus, Bassorae Missionarius, cui adjunxit dialogum, quo confutantur XXXIV. ejusdem gentis errores. Quatuor sabaeos codices, bibliothecae Parisinae dono dederat R. P. Angelus a S. Joseph, alter Carmelita Discalceatus Persidis Missionarius, cujus extat insigne Lexicon Persicum, *Gazophylacium Linguae Persicae*, inscriptum. Sabaeorum seu *Sabiorum* origines, ritus et errores doctè pro more suo jam illustravit *Math. Norberg*, Londini Gothorum celebris Professor, qui a Stephano Borgia acceperat specimen suorum codicum Sabaeorum, in cujus rei memoriam gratum animi testimonium relicturus, eidem amplissimo viro dedicandum esse censuit suum Codicem *Sabaeum*, tribus voluminibus constantem; quod elucet ex epistola Stephani, Patavio an. 1798., die 2. Nov. ad me scripta (26).

Non desunt in Museo Borgiano etiam aliarum gentium codices

(26) Sunt *Sabaei* seu *Sabii* Arabiae *Aborigines*, qui bellorum motibus fuere per Asiam dispersi, ex quo numero sunt *Christiani S. Johannis*. Vide Math. *Norberg* analecta in dissertatione *de Templo Solis apud Sabios*, a Johanne Svenander edita Londini Gothorum 1798. Luculenta sunt de Sabiis verba Josephi Simonii Assemani in *Chron. Orient.* p. 232. edit. Ven. 1729., *Saba filius* Chusi *fuit, cujus posteri ibi habitarunt, ubi postea Omanitae, et Gerraei, et Cataraei, hoc est a Iemamae* (Jemen) *finibus usque ad Baharain, et Oatiph, quorum regia* Hagar, *unde Agraei*: *Sceba* (vel Saba) *vero triplex fuit, Jectanis scilicet filius, et Regmae, et Jectanis, quorum primus Sabaeorum pater fuit inter Minaeos, et Chaulanitas, atque Chatramotitas habitantium intra Sinum Arabicum: alter pater Sabaeorum prope ostium maris Persici, ubi montes Sabo seu Asabo: tertius pater Sabaeorum in aditu Arabiae felicis non procul a Nabathaeis*. Christiani S. *Johannis*, qui litora Sinus Persici, et Euphratis incolunt, ab illo primo, aut certè a secundo *Sabaeorum patre oriundi esse videntur*.

mss. In horum numerum reponimus codices Hebraicos, Graecos, Chaldaicos, Syriacos, Ethiopicos, Armenios, Illyricos, Turcicos, Persicos et Ibericos seu Georgianos. Ex his ultimis aliqui conscripti sunt charactere vulgari *Kedvuli* dicto, alii ecclesiastico *Kuzuri* nuncupato. Istos Romae incidi curavit vir doctissimus, Stephanus *Avuntadil*, gente Iberus, illi extant in insigni codice Musei Borgiani, quem Stephanus Cardinalis suo aere describi curavit in ipsa Iberia ex codice *Heraclii*, Georgiae dynastae, qui codex plenam gentis Georgianae historiam complectitur, et a Gregorio *Baghinanti*, viro hujus linguae perito, anno 1804. lectus, castigatusque fuit (27). Numis Phoeniciis et Samaritanis illustrandis doctam operam navavit vir eximius, P. Gabriel Fabricy, Ord. Praed., qui ex iisdem novum, idque perfectius adornaverat Alphabetum Samaritanum. Celebris in hac Samaritana Musei Borgiani numorum collectione est numus *Joannis* Pontificis Judaeorum, quem vir doctus, ni fallor, *Johanni* Pontifici, filio *Simonis*, de quo extat memoria cap. 16. lib. 1. *Machab.*, attribuit. Fato cessit Fabricius anno 1799., mansitque eximium illius opus magno litterariae reipublicae damno imperfectum. De *Samaritanis* multa scitu dignissima prodit liber inscriptus: *Antiquitates Ecclesiae Orientalis*, Londini, anno 1682.; ex quo praeclara documenta haurire poteris de Samaritanorum origine, synagogis, Pentateuco, litteris, siclis, libris, lingua, erroribus, inter P. Morinum et Petrum a Valle docta epistolarum concertatione ventilatis. (28)

(27) Confer, philologisch-kritische Miscellanien von Franz Carl Alter. Wien, 1799. p. 247. *Erster Nachtrag*. Hallucinatus est ibi clarissimus *Alter*, qui putabat, *Kartlis Zchovreba* scriptorem esse laudatae georgianae Historiae. *Kartlis Zchovreba* titulus est libri, non autem nomen auctoris, atque *vitam Cartlidis* sonat, ut recte observat *Adler*, in *Museo* Cufico Borgiano pag. 163. in adnot. 3. Zchovreba *vita*, Kartlis *Kartlidis*, seu vita Kartlidis, *vita di Kartli*, quod Baghinanti paulò aliter scribit ex more Italico *Chartlis Zichovrebo*. *Kartli* Georgiae Protoparens, et regni Georgiani Fundator fuisse creditur, quamobrem ea Georgiae pars, quae principi Heraclio parebat, *Kartli et Kaketi* dicitur, quia ex provincia *Kartli* et *Kaketi* coaluit. Unde liquet, unam Georgiae provinciam adhuc illius veteris Fundatoris nomen retinuisse. Liber *Kartlis Zchovreba* inscriptus ab illustri viro *Avuntandil*, gente Georgiano, tantopere fuit celebratus, ut Stephanum Cardinalem induceret ad eum quocumque modo posset e manibus principis Heraclii extricandum, quod dum perficere nequit, exemplar saltem ex ipso autographo descriptum obtinuit. A *Kartli* Georgiae Protoparente auctor historiam ordiri, eamque usque ad seculum XII. perduxisse dicitur. Haec ego ex ipso Gregorii Baghinantii ore accepi, qui leves libri descriptoris errores castigavit, et ex eo plurima excerpta desumpsit, anno 1804., antequam Stephanus Cardinalis Roma in Gallias contenderet.

(28) Adde Hadr. Relandi dissertationem de *Samaritanis* part. II. Trajecti ad Rhenum an. 1707., et part. I. pag. 122. dissert. *de Monte Garizim*.

Mappas hydrographicas et nauticas numerat Museum Borgianum amplius tredecim, quae in pergamena descriptae mira artis et colorum varietate relucent ·

I. Est Jebuda ben Zarae Alexandriae confecta anno 1446· II· Anconae anno 1503. auctore Andrèa Benincasa . III. Hieronymi de Verrazzano anno 1528. IV. Didaci Ribeiro, Sevillae an. 1529· V· Comitis de Octomanno Freducci, Anconae 1538· In his eminet singularis illa mappa, quae lineam exhibet in oceano jussu Alexandri VI· ductam, qua dominium maris inter Johannem Lusitaniae regem, et Ferdinandum Hispaniae monarcham dividitur · Sed has mappas aetate superant tabulae geo-hydrographicae *Andreae Bianchi* in bibliotheca S. Marci Venetiis asservatae, nam annum ferunt 1436. ; et quod singulare est, in iis notatae sunt sine nomine insulae *Antille*, quarum prima detectio anno 1492· attribuitur Christophoro Columbo · Mappa Borgiana a Johanne Martynes Messinae anno 1586· confecta, posterior est Caesarea Vindobonensi ejusdem auctoris, quae annum gerit 1570. Denique his omnibus superior est Atlas geo-hydrographicus ejusdem Caesareae bibliothecae, quem adornaverat *Petrus Visconti* Genuensis anno 1318, bis enim hanc fert epigraphen : *Petrus Visconte de Janua fecit istas tabulas* an· Dm̃· M· CCC· XVIII. Hae tabulae arguunt et evincunt, Genuenses et Pisanos, primos Italiae populos fuisse, qui marium cognitionem habuerint, et inter Orientem et Occidentem maritimo commercio duces fuerint . Tacitè haud praeterire debeo Stephani Cardinalis opus geo-hydrographicum ineditum, quod is duobus maximae molis voluminibus comprehendit, et unum *La Spiaggia del Mediterraneo*, alterum vero *La Spiaggia dell' Adriatico* inscripsit · Octingenta et amplius is documenta, mappasque congesserat, quibus ille utrumque Pontificium maris littus, *Adriaticum* nempe et *Med terraneum* describere animo constituerat, adjecta ubique aquarum profunditate, adscriptis veteribus a mari absorptis oppidis, et novis inde exortis aedificiis, urbibus, sinubus, portubus, et quidquid ad utriusque maris litoralem Navigationem et cognitionem spectat . Opus sane immensum, perutile, eruditum, et Stephano Borgia dignum, qui nullis sumptibus, nulli labori pepercit, ut omnes scientias, sed comprimis ea quae Ecclesiae jura, et S. Petri ditiones attingunt, illustraret, et promoveret · Sunt in hoc opere ichnographiae multorum municipiorum, octuaginta et octo urbium, variorum portuum, et typi Sigillorum earumdem civitatum ac portuum · Atque huc refertur vetus sigillum *Adriae*, quod ex Museo Borgiano docta illustratione potulit Franc. Hieronymus *Bocchi*, Patritius Adrianaeus anno 1799. typis nitidis Adrianaeis, quos ipsi amplis-

simo viro Stephano Borgiae dedicavit (29). Huc denique spectat Sigillum vulgò dictae *Sanitatis* Portûs Fluminis ad Ostia Tyberina siti, cui incisa haerent duo capita SS. Apostolor. Petri et Pauli, qui in eo Sigillo *Urbis Romae Patroni* nuncupantur.

Monumenta Musei Borgiani, quae Stephanus Cardinalis in aes incidi, vulgarique curavit, sunt.

I. Planisphaerium aeneum, 24. pollices in diametro latum et rotundum, in quo exhibentur tres orbis terrarum partes, seclusa America, cujus nullam auctor habuit cognitionem. In India superiori hic geographus sistit sacram aedem et corpus B. *Thomae Apostoli*, in India vero inferiori *Cathay* civitatem, Magni *Canis*, Imperatoris Tartariae sedem. Gangem, Indiae amnem, ex Paradiso, seu loco deliciarum in extrema Orbis ora sito, deducit. Danubium ex montibus, qui Italiam ab *Almania* dividunt per Austriam, Budam, magnam Valachiam in mare ponticum non procul ab urbe *Capha* defert. In Apulia collocat ille corpus *B. Nicolai*. Arimini Hasdrubalem cum Carthaginesium militia interfectum tradit. De Roma fert: *Sedes Apostolica et Imperialis per mille* (ni fallor) *annos in orbe triumphavit*. Hispaniae adscriptum est: *Infidelis Hispania Christianitati submissa: per Karolum Magnum post multa bella commissa*. Moraviae et Boemiae attributa sunt haec verba: *hic transit silva boemica, quae se extendit ad paganos*. Sunt alia in hoc planisphaerio lectu dignissima; et quamvis illa geòographicam scientiam ab aevo Strabonis et Ptolemaei in Europa retrogradam fuisse demonstrent, attamen medii aevi historiae magnopere inserviunt: eam enim totius orbis historiae partem, et geographicam cognitionem exhibent, qua medio aevo Europa imbuta fuit. Ex his documentis in hoc Planisphaerio sparsis, et ex Gothicis litteris, quibus exaratum est, mihi videtur, hoc artis opus non in saeculum XV., quod quidam putaverunt, sed ad initia Seculi XIV. rejiciendum esse, nullam enim cognitionem habuit auctor *Americae*, quae Seculo XV. a Christophoro Columbo detecta fuit, neque usus est *Marci Pauli* Veneti itinerario, quod eodem Seculo XV. omnium ore celebrabatur, quamvis nondum typis editum fuisset. Adde, hujus Planisphaerii auctorem, illo quo scribebat aevo, ad mare *Prussiae* adhuc paganorum turmas collocare, quod certe vir Germanus non fecisset, nisi borealis Germaniae et Poloniae pars paganis, qui ferocia in meridionales Christianos bella movebant, referta fuisset. Hujus aeneae tabulae typum anno 1797. summa fide, maximoque artificio expressum, in fol. ut ajunt regali, eruditis spectandum exhibuit Camillus Borgia, Joh. Pauli

(29) Epigraphe hujus sigilli est: *Sigillum Custodie Adriane*,

filius, et Stephani Cardinalis, Patrui sui, in colligendis veterum monumentis aemulus et imitator.

II. Loco veniunt tres maximae tabulae aeri incisae, Globum Cuficum exhibentes, qui omnes hemisphaerii borealis et australis stellarum icones sistit, quae anno 622. heg. inter Arabes cognitae erant.

III. Sunt tabulae XII. numorum Cuficorum typos exhibentes, in quarum prima conspicuum est Alphabetum Cuficum e numis depromptum.

IV. Tabulae XXII. ex aere numos aegyptios Imperatorios Alexandrinos sistentes, quorum primus est numus *Augusti*; ultimus in supplemento numus *Antonini*.

V. Tabulae VI. chartam papyraceam *Niloticam*, Graece scriptam, exhibentes, in quarum prima adest Alphabetum singularis illius Graecae scripturae, qua haec Aegyptiaca papyrus exarata est. Hoc opus peritè interpretatus est *Nicolaus Schow*, Danus. (30)

VI. Tabulae XXXII. Systematis Brahmanici, mythologiam, lythurgiam, ritus tam religiosos quam civiles, et numos Indicos sistentes.

VII. Tabula cyclum transmigrationum exhibens ex Theologia Lhamarum Tibeti a pictore tibetano *Jon = dela = huri* ex archetypo sacro in *Lhapranga* Lhassensi coloribus expressum, cura Stephani Card. aeri incisum. Item alia Tabula Cosmogoniam Tibetanam sistens ex eodem auctore.

VIII. Tabulae IV. maximae, *Kiat-se*, seu cyclum Sinensium, dynastias et Imperatorum seriem ac nomina sistentes. (31)

IX. Tabulae aliae quamplurimae monumenta aegyptiaca et aliqua Graeca exhibentes.

X. Tabulae genealogicae *Mathildis*, comitis Hetruscae, filiae Bonifacii Hetruriae Ducis, quae suas ditiones S. Sedi donavit, et piè obiit anno 1115.

XI. Autographum epistolae *Raphaelis Sanctii* Urbinatis referens tabula una.

XII. Tabulae variae pateras graecas et hetruscas, tesseras hospitales, graecas inscriptiones, numos singulares, et urbium, ecclesiarum, episcoporum sigilla exhibentes.

Tacitus praetereo vetera horologia, delineandis novis et variis sciathericis Italicis, Babylonicis, astronomicis, et planetariis apta, fossilia, conchilia, testacea, cristallina, peregrinos lapides, variarum gentium indumenta, kalendaria, palmarum indicarum folia, exoticos

(30) De *Nilotica* papyracea charta Vide pag. 367. in Frid. de Schmidt *Opusc. in quibus Res Antiquae Aegyptiacae explanantur*. Carolsruhae 1765.

(31) Confer opus inscriptum: *Sinensis Imperii libri Classici Sex, e Sinico idiom. in lat. versi a Fr. Noel*. Pragae 1711. in 4.

fructus et ligna, sinensem supellectilem et alia, quae extra Velitras in proxima Borgiana Villa asservantur (32). Hujus suburbani aedificii portae adhaeret sequens inscriptio

Stephanus Borgia S. R. E. Presb. Card. Ex Multis Orbis Partibus Collegit Anno MDCCXCV. Augustum Civem Suum Imitatus Qui Rebus Vetustate Ac Raritate Notabilibus Sua Praetoria Ornavit. (33)

Haec igitur est rudis Musei Borgiani Velitris delineatio. Quis jam stupore et admiratione non afficiatur, dum una viri solertia tot variarum gentium monumenta collecta et coacervata videt? Schola est haec et palaestra quaedam, in qua politiores Europae viri, atque Barbari et Scythae se se exercere ac erudiri possunt. Da alterum Museo Borgiano simile promptuarium, et Italiam efficies, ut olim fuit, artium et scientiarum Magistram. Peracutè pro sua animi sagacitate hoc animadvertit vir doctissimus Joseph Garampius, Cardinalis, qui cum Vindobonae selectissimos omnium gentium libros comparasset, et iis illustrem bibliothecam instruxisset, aere alieno oppressus, eam post obitum suum dispergendam praeviderat. At ex adverso, dum is amici sui Stephani Cardinalis conatus, felices et stabiles futuros esse perspexisset, exclamavit: vicisti me Stephane! Nam tu monumenta collegisti, et iis jam totam pene Europam illustrasti, atque eorum adminiculo ampliorem lucem litteris et scientiis affundes, ego autem seminavi; collegi, et laboravi, ut dispergerem. Et vera fuit Josephi Cardinalis praesagitio, nam ut is praedixerat, ita res accidit, et eventus praesagientis illius animi divinationem perfectè comprobavit. Stetit, et stet, est necesse, Museum Borgianum, quis enim temerariam illam manum ferre poterit, quae illius integritati damnum afferat? Integrum illud permaneat oportet, hoc enim decus Italiae, hoc utilitas Europae, hoc praemium, ardens Stephani studium et labor, firmaque illius animi intentio, postulat. In mensa parcus, (34) in vestibus modestus, a pompa et ostentatione alienus, a vitiis liber, omne aes suum, quod ex redditibus exigebat, is partim in pauperes dilargiebatur, partim in publica humanitatis et

(32) De foliis palmarum, earumque in scribendo usu vide in mea *Vyàcarana* pag. 327. edit. Rom. 1804.

(33) Svetonius in Octavio Augusto: *Sua* praetoria], *quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis, et nemoribus excoluit, re-busque vetustate ac raritate notabilibus.*

(34) Svetonius in Augusto; *Coenam ternis ferculis: aut, cum abundantissime, senis praebebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate.* Talia fuere *Stephani* prandia.

scientiarum commoda conferebat. (35) Numquam is animum suum inducere potuit, ut parentes suos, paternamque domum opibus augere studeret, sed, ut virum ecclesiasticum addecet, omni cura enitebatur, ut patria et cives sui religione firmi, gloria ampli, virtute honesti essent. Irridebat illos, qui coacervandis opibus insudant, utpote qui virtutis et gloriae semitam nescirent, et dum bona terrena rapiunt, et ab iis rapiuntur, dum alter alterius quietem rumpit, vitam suam sine fructu, sine gloria, sine profectu animi disperdunt, et cum opibus suis, omnis gloriae expertes, evanescunt. Hoc eximium publicae utilitatis studium, et amor, quo Stephanus Cardinalis flagrabat, in causa fuit, ut tempore Romanae *Anarchiae*, sub qua democraticus furor nec templis quidem et aris parcebat, Musei Borgiani monumenta sarta tectaque permanerent. Quamquam non parum debeamus ipsius Stephani diligentiae, qui per amicos suos in ipsis publicis Democratiae tribunalibus sui Musei integritati consulere studuit, et sua dexteritate et sagacitate illius diripiendi pericula amovit.

CAPUT IX.

Stephani Cardinalis Extrema.

Nituntur res humanae suo principio, incremento, et fine, atque dum in sublimissimum decoris, majestatisque culmen evectae sunt, vertente fortunae rota, concidunt, et dilabuntur. Voluit Divina Providentia hanc illis inesse vicissitudinem, ut inspectis tot rerum mutationibus edoceamur, quam infirma et inania sunt hominum molimina, conemurque ibi defigere nostram mentem, ubi nihil est mutationi obnoxium. Quid enim est tandem illud ipsum nomen, cui illustrando et promovendo totam impendimus vitam? Το δε ὀνομα ψόφος ἠχ ἀπήμα, ait Marcus Aurelius lib. V., id est, *Nomen autem ipsum nihil est aliud quam sonitus* (inanis), *et echo quaedam*. Ad altum perfectionis gradum perduxerat Stephanus Cardinalis suum Veliternum Museum, nomen ipsius in omnibus percrebuerat Europae urbibus et academiis, quin imo ad ipsos orbis fines perlatum fuit. Valetudine perfruebatur optima, dulcis amicitiae vinculo devinctus erat fere omnium nationum eruditis viris, in sobria, sed eleganti mensa cingebatur honesta amico-

(35) Svetonius in Octavio Augusto, cive Veliterno: *Instrumenti ejus et suppellectilis parsimonia apparet etiam nunc residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatae elegantiae sunt... Veste non temere alia quam domestica usus est, ab uxore, et sorore, et filia neptibusque confecta.* Disputatum, dubitatumque fuit post obitum Stephani, an relicta supellex familiarium stipendiis exolvendis sufficeret.

rum corona, et mens ipsius sana in corpore sano condiebat non solum illas dapes, sed etiam circulum illum litterarium, qui singulis diebus dominicis in ejus aedibus tenebatur. Munia in Ecclesia obierat maxima non minori prudentiae et honestatis laude, quam felici rerum successu, et quod rei caput est, novis decoribus eum ornandum susceperat Pius VII. P. M. In hoc prospero vitae mortalis cursu, in hoc humanae felicitatis incremento, levi pede et tacito gressu adrepit mors, et cum ea omnis humanae prosperitatis et honoris finis. Paucis exequamur hos duos ultimos illius vitae annos.

Extremo morbo confectus mortalem vitam exuit anno MDCCCI. die XIX. Decembris S. R. E. Card. Franciscus Xaverius de Zelada, gymnasii Gregoriani studiorum Praefectus, statimque in demortui locum lectus fuit Stephanus Borgia mense proxime insequente anno MDCCCII. Hoc munus prudentissimo delictu eidem a Summo Pontifice impositum, virique litterario ingenio valde congruens, is alacri animo gerendum suscepit, conservata in se Congregationis Oeconomicae praefectura, cui aegro et quasi invito animo suam impendebat operam. Res erat visu digna, tam magni nominis virum a circumfusa eidem ingenti juvenum et Professorum multitudine in hoc celebri romano athenaeo de latini sermonis puritate, de graecae linguae necessitate, usu et verborum copia, de sana logica et ethica, de physicis experimentis, de theologicis disciplinis disserentem audire, atque ad eas excolendas summo fervore exhortari. In primo suo in hoc gregorianum lycaeum ingressu statim numus, Collegii typo insignis, percussus prodiit, qui apposito Borgiano stemmate, adeptae dignitatis memoriam referebat. Vulgati deinde fuere alii aurei et argentei numi illis adolescentibus in praemium distributi, qui in studiis excelluere, atque suae scientiae aliqua praeclara specimina edidere. Fuit in illis ornandis Stephanus tantopere liberalis, attentus, et beneficus, ut cum ego ipso jubente omnes de praemiis obtinendis scholasticas concertationes legissem, ac subinde anceps haererem, cuinam ex duobus velitibus palmam adjudicare deberem, ipse ad aliorum aemulationem excitandam duplex praemium statuerit, ambosque illo exornaverit. (36) Est laudum et studiorum aemulatio gymnasiorum decus et vita, atque sine Mecoenatibus et praemiis languet litteratus orbis. Rari sunt illi, in quibus studiorum cupiditas praedominetur, majorque hominum pars praemiorum stimulo est excitanda et vellicanda (37). Acuuntur ingenia, laude, honore, praemio,

(36) Svetonius in *Augusto*: Congiariis *ne minores quidem pueros praeteriit, quamvis non nisi ab undecimo aetatis anno accipere consuevissent*. Et infra: *Nulli Graeco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honoraverit*.

(37) Confer. Joh. Lud. Vivis *de Disciplinis lib. XII.* Neap. 1764. lib. 1. pag. 6. 7. 8. et Des. Erasmi Roterdam. Tract. *de Ratione Studii*.

magistri nobilitate et dexteritate . Non minor fuit Stephanus Cardinalis in collegii romani decore promovendo , illo enim duce et comite Pius VII. P. M. anno MDCCCIV. die XI. Februarii , dum Sol notabilem eclypsin patebatur , speculam astronomicam romani collegii conscendit , et in eadem de Supremo Mundi Artifice egregie disseruit (38) . Convenerant in eumdem locum Carolus Emanuel IV. , frater ejusdem Victorius Emanuel I. Rex Sardinae , et piissima illius Conjux Regina Maria Theresia cum Maria Beatrice sua filia . Non defuere alii Urbis Proceres , et S. R. E. Cardinales , quos illa res singularis et debitum in Summum Pontificem obsequium acciverat . Hos Stephanus Cardinalis honestissime excepit , et , ut erat vir excelsi et liberalis animi , ad unum omnes sorbillis , pretiosis juribus gelatis , salgamis et bellariis refecit . Hujus rei memoriam marmori consignavit inscriptione non ineleganti , quam hic subjungo

Bonum . Factum . Pius VII . P. M. Victorius . Emanuel . Sardiniae . Rex . Maria . Teresia . Regina . Carolus . Emanuel . Rex . Et Maria . Beatrix . Victorii . Regis F. Solis . Eclipsin . Quae . Fuit . A. D. III . Id . Febr. Anni . CIↃ IↃCCCIV . Propius . Spectaturi . Turrim . Ascenderunt . Praeeunte . Et Deducente . Stephano . Borgia . Presb . Card . III. Viro . Coll. Rom. Moder.

Hanc ipsam solarem eclypsim jubente Stephano descripsit Joseph Calandrellus , Speculae Collegii Romani Rector , cui adjecit eruditam dissertatiunculam in majores et celebriores eclipses in Urbe visas , quam deinde suo studio , et observationibus additis auxit Andreas Conti . Huic curae adjunxit Stephanus Cardinalis et aliam , scilicet , ut in Urbe institueretur cathedra Veterinaria , quae Romae numquam antea extiterat . Et molimini ac voto amplissimi viri tandem respondit effectus , atque lectus , constitutusque fuit in archigymnasio vir veterinariae medicinae peritus , qui boum equorumque morbos scitè depelleret . Vertente eodem anno MDCCCII. extrema senectute confectus decessit *Hyacinthus Gerdil* , Romanae purpurae singulare decus , et S. Congregationis de Prop. Fide Praefectus . Ergo et hoc munus Stephano delatum fuit die XVI. Augusti . Iam is ab anno 1799. , dum adhuc Patavii exul haerebat , *Gerdilii* partes agebat , sed nunc plenam potestatem adeptus est , omnem , quo in sacras Missiones ferebatur amorem , efficacius exerendi . Vix ille hac dignitate auctus est , cum jam conquiri fecit variorum religiosorum ordinum juvenes , quos ille Apostolico muneri idoneos statim ad Orientis Oras expedivit . Eis libros , dona , sacramque

(38) Vide opusculum inscriptum : Eclisse Solare del dì XI. Febbrajo MDCCCIV. osservata nella Specola Astronomica dell' Università Gregoriana nel Collegio Romano . Roma 1804. pag. V.

supellectilem cumulatè largitus est ; ad suum munus sedulo obeundum exhortabatur, et iter eorum suis epistolis, aere, commendationibus communiebat. Ut peregre proficiscentibus aliquod animi solatium praeberet, et mentem eorum ad laborem et patientiam obfirmaret, Thomae a Kempis aureum opusculum denuo typis excudi curavit anno 1803., cujus exemplar unum ille singulis ex Urbe abituris porrigebat. Quidquid Apostolicis Missionibus utile ac opportunum esse perspexerat, hoc statim amplectebatur, et sublata omni mora exequi conatus est. Probè is noverat, S. Congregationem de Propaganda Fide esse corpus ingens, vastum, implexum, et inertiae obnoxium, quod non facile moveatur, et in ipso motu moram et tarditatem patiatur. Quamobrem continuis stimulis opus est, vellenda inertibus barba, et ad celeritatem excitandi, quorum opera et virtus usque ad extremos orbis fines procurrere debet. In hoc singulari instituto, cui simile orbis nondum aspexit, Praefectus omnium negotiorum anima, vita, et salus esse debet, isque incredibili quadam fortitudine, diligentia, sagacitate et patientia praeditus sit, est necesse. Nullum fere praesidium et adjumentum ad curanda in toto terrarum orbe sacra ex libris trahitur; examinanda sunt religiosa gentium instituta, ritus antiqui, mores, circumstantiae personarum et locorum, indoles nationis, et libri, quibus illae in religionis rebus ab antiquo utuntur, atque ex iis statuendum est, quod prudenti inito consilio expedit decernere ad religionis decus et incrementum. Valet hic illud Publii Syri Mimi, quod Stephanus Cardinalis semper in ore ferebat: *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel*, et illud Isocratis: *consulta lente; sed quae optima consultanti visa sunt, celeriter effice*. Et hac quidem methodo usus est Stephanus in promovenda in toto terrarum orbe orthodoxa Religione, cui adjunxerat plusquam XX. annorum experientiam et exercitationem; quam antea contraxerat ex munere a *Secretis*, quo is in hac S. Congregatione de Prop. Fide egregie perfunctus fuerat. Patebat janua ipsius omnibus Orientalibus, Barbaris et Scythis, et quod mirum, adventantium quemque suo compellabat nomine, gentis, patriae fastos et fata recensebat. (39) Fertur Themistocles omnia atheniensium civium nomina in memoria tenuisse (40), et idem obvenit Stephano Cardinali, qui plurimarum Orbis regionum, urbium, Episcoporum, Orientalium Sacerdotum, ac fere omnium fidei praeconum nomina et gesta noverat, atque ex iis quemque pro ratione et mensura bonarum aut malarum actionum vel

(39) Svetonius in Augusto: *Promiscuis salutationibus admittebat et plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quemdam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quam elephanti stipem.*

(40) Franc. Petrarcha *De illustribus Viris*, lib. II.

dilaudare, vel castigare sciebat · Hoc est, quod illi conciliavit Orientalium hominum fiduciam, admirationem et laudem, quae ad ultimos orbis fines perlata fuit · Is est, qui Ignatium Antiochenum Syrorum Patriarcam anno MDCCCIV. Romae honeste complexus est, lauta subinde mensa excepit, currumque non indecorum in urbe circum eundi subministravit · Hic Praesul vero nomine vocabatur *Michael Dahaer*, qui ex Syrorum coetu et Parochia Aleppina, anno MDCCCII· die XXIV· Aprilis in Castrovano, montis Libani oppido, a natione Syra in monasterio S. Mariae Liberatricis in Patriarcham electus fuit, successitque Ignatio Michaeli *Giarve*, qui antiochenam Syrorum Ecclesiam per XVII· annos tenuit, et a Monophysitarum erroribus purgatam Romanae atque Apostolicae Sedi Subjecerat · Cum illo Stephanus Cardinalis res nationis Syrae diligenter composuit, et postquam illum in Urbe decorè, nec sine magnis sumptibus, plurium mensium spatio aluisset, tandem vertente mense Septembre ejusdem anni honestissime dimisit · Abeunti multa exemplaria tradidit Encyclicae, typis excusae, de *Renovanda Fidei Orthodoxae Professione* contra rumpentes vincula pacis et unionis Orientalium Antistitum cum Summo Pontifice, et Romana Ecclesia, centro Orthodoxae fidei, a qua exorta est unitas Sacerdotalis · Ut hoc efficacius assequeretur, usui et formae professionis fidei Urbani VIII· Stephanus Cardinalis adjunxit aliam veterem *S. Hormisdae* formulam, quae VI. ineunte seculo proposita, Acacianum Schisma compresserat, probataque fuit anno DCCCLXIX· in Synodo Constantinopolitana IV. Ejus exordium est, *Prima Salus est*, editaque fuit XV. Kal· April. anno DXVII. Agapito Consule · In propagando catholicae fidei opere, aureo utebatur libro Ven· P· Thomae a Jesu, Carmelitae Discalceati, *De Procuranda Salute Omnium Gentium* inscripto, quem ille diligenter, sed non sine delectu opinionum legebat, et tamquam petram cui inniteretur, dum adhuc S· Congregationi de Prop. Fide a Secretis erat suo tabulario semper impositum coram asservabat · Ritus Sinenses et Malabaricos a Cardinale de Tournon et Sede Apostolica proscriptos et ipse proscripsit, atque execratus est, neque umquam induci potuit, ut violentae eos defendentium parti vel leviter accederet, aut quod puritatem fidei vel minime laederet, toleraret · In theologicis argumentis et disciplinis non omnes libros probabat, sed comprimis Natalis Alexandri, et B· Thomasii Cardinalis operibus et doctrinae inhaerebat, quorum opuscula et volumina is aliquando rhedae imposita secum in congregationes purpuratorum Patrum deferebat, ut auctorum genuinam sententiam Patrum oculis subjiceret, et in rebus arduis omne errandi periculum amoveret · Alte ipsius animo insedit illud Senecae *de varietate lectionis* : Librorum multitudinem et promiscuam lectionem animos distrahere; et quemadmodum illi, qui in peregrinatione vitam agunt,

multa habent hospitia, nullas amicitias, ita volubiles, et multae lectionis avidos homines nullius certi auctoris, aut doctrinae amicitia teneri, et omnia quidem legere, concoquere nihil, memoriam exercere, ingenium autem vehementer obtundere. Quare, quamvis Stephanus Cardinalis lectissima atque locupletissima bibliotheca esset instructus, attamen ex ea paucos in quotidianum usum selegerat libros, et certis ingeniis immorari, ex iisque mentem suam alere studebat. In Historia Ecclesiastica Joh. Laurentii *Berti* Florentini *Breviarium* sequebatur, quod semper coram habebat, eoque dirigente, in aliis amplioris molis voluminibus per omnia Ecclesiae Christianae secula, monumenta, concilia, dogmata, et Pontificum seriem ac gesta procurrebat. Non deerant in suo Museo Veliterno varia et certa praesidia et adjumenta, quibus lucem et firmitatem afferret omnibus illis quaestionibus et argumentis, quae vel ipse, vel alii pertractanda susciperent. Vix est aliqua Italiae ecclesia, cujus ille Synodales constitutiones in suam bibliothecam non intulisset, et diligenter non perlegisset eo fine, ut claram et dilucidam notionem assequeretur communis ecclesiastici juris et consuetudinem, ex quarum norma, nascentes inter Episcopos, aut eorum subditos lites, et quaestiones, dijudicari, ac rectè dirimi possent. Quapropter nemo jam admiratione moveatur, si Stephani Cardinalis aedes, velut quoddam sacrarum et profanarum litterarum sanctuarium, evasisse audiat; ad quod consultandi, discendique causa tum ecclesiastici viri, tum etiam doctissimi philologi turmatim convolaverint. Nemo fuit, doctrina et optimarum artium studiis eruditus, qui Stephanum vel Romae, vel Velitris non inviseret, et illius eruditione ac urbanis salibus recreari non exoptaret. Ipsi viri Principes, qui videndae Urbis causa in Italiam adveniebant, etiam *Velitras* petere satagebant, ut ibi inspecto Borgiano Museo antiquitatis monumentis erudirentur. Et quidem hujus Musei exornandi, novisque in dies monumentis locupletandi curam, quoad illud potuit, Stephanus numquam dimisit. Accessit hoc ultimo ejus vitae tempore et aliud insigne ornamentum, quo ille patriam suam et ecclesiam Veliternam auxit. Junctis cum Henrico Duce Eboracensi nuncupato, S. R. E. Cardinale, atque Episcopo Ostiensi et Veliterno consiliis et viribus, apud Pium VII. P. M., indulgentissimum Principem, adlaboravit, ut Ecclesia cathedralis Veliterna, S. Clementi M. dedicata, Pontificis oraculo in dignitatem et splendorem Basilicae Suburbicariae eveheretur, et *titulo praeminentiae ac privilegiis Basilicarum Urbis* augeretur; quod etiam feliciter assecutus est, crucemque novam splendidissimam, quae Ecclesiae Veliternae Clero praeferri debet, ipse conflari curavit. De qua re extant SS. D. Pii VII. P. M. litterae in forma Brevis anno MDCCCIV. die II. Martii expeditae. In hac eadem ecclesia Deo Optimo, Maximo, in ho-

norem S. Clementis M., cujus eximio cultu et veneratione vir amplissimus tenebatur, quotidianum Missae Sacrificium suo aere fundavit, ostenditque, se non ita humanis rebus fuisse implicatum, ut Divinarum curam negligeret. Sed ecce, dum Velitras ornat, dum Catholicae Fidei praecones in Indiam Orientalem expedit, dum congregationis oeconomicae ardua et perplexa negotia curat, dum Georgio Zoegae copticas membranas dilucidandas tradit, et me ad absolvendam meae *Vyàcaranae* editionem excitat, atque ipse se ad historiam nauticam ditionis pontificiae evulgandam accingit, affertur ei nuncium, iter in Gallias arripiendum esse. Primo rumoris afflatu id somnium esse credebat ex numero illorum somniorum, quae falsis et mendacibus visis in Urbe frequenter concitantur. Non erat is ignarus arcanorum Pontificis, qui eum ob singularem suum animi candorem non raro intimis consiliis adhibebat. Sed hac vice eum opinio fefellit. Afferuntur Pontificis nomine eleganter exaratae litterae, quibus Stephanus invitabatur, ut Pium VII. suum fautorem et Principem in Gallias comitaretur, quo is contendere statuerat ad imponendam sacram coronam Napuleoni Francorum Imperatori, a populo jam electo et salutato. Primo hujus epistolae intuitu, quam etiam mihi legendam porrexit, aliquo animi gaudio perfundi videbatur, sed statim in se ipsum rediens ait: En primum nostrarum curarum monumentum. Poterat is adjicere: En dolorum principium, ac instans vitae finis. Et revera remotis arbitris mox ille secum ipso in mente agitare coepit itineris difficultatem, instantis hyemis rigorem, suam aetatem provectam, et sui pectoris maximam imbecillitatem, quarum rerum consideratione adeo commotus fuit, ut cum ego eum insequenti die consalutarem, ipse statim ad me conversus dixerit: *Bisogna dare la pelle al Papa*, tradenda est pellis mea Papae. Vicit nempe apud eum in collisione principiorum sui muneris ratio, eximius illius in Pium VII. P. M. amoris affectus, et spes perampla ac honesta publicam Ecclesiae catholicae procurandi utilitatem. Tam vehemens erat in Stephano damnum vitae praesagientis naturae motus; ut paucis diebus interjectis is iterum ad me conversus diceret: Quis credidisset, aut praedixisset, me in Galliis esse moriturum? Cur ergo, inquiebam ego, cur huic tam arduo itineri se accingit? Ire constitutum est, ait, sacramenti religione Summo Pontifici obnoxius sum, obedientiam meam illi despondi; ibo, quo me vocat, nec aliquid esse potest, quod me ab hoc suscipiendo itinere abstrahat. His auditis ego conticui, et *Chrysostomum*, aut *Cyprianum* ad martyrium properantem me conspicere arbitrabar. Fertur etiam epistola ejus exstare, praesagitione mortis referta, quam is paulò ante discessum suum Neapolim cuidam suo amico perscripserat. Illud certum et exploratum est, dum portam *Flaminiam* egressus Pon-

L Angelicam

tifici se comitem adjunxit, ad Nicolaum *Bonomi*, fidum olim in Veneto Conclavi socium dixisse : trepido, et timeo, ne amplius per hanc portam regrediar ; verbis claris et distinctis innuere volens : in hoc itinere sibi periculum perdendae vitae instare. Et justus erat ipsius timor, jam enim mense Martio hujus anni MDCCCIV. levi quadam syncope correptus fuit, quae eidem oculorum aciem et memoriae usum per aliquot dies abstulerat. Redierat ille tamen in pristinum valetudinis statum, sed, quae senum imbecillitas esse solet, in pueritiam reverti videbatur. Et huic senili imbecillitati attribuendus est ille amor, et imprudens animi affectio, qua jam a duobus annis servilem in modum ferebatur in unum ex suis familiaribus, juvenem procacem, temerarium, adulatorem, et sui commodi studiosissimum. Sunt haec senectutis carcinomata, a quibus nec *Augustus*, nec *Justinianus* Caesar, liber fuit (41). Huic ergo juveni se Stephanus totum addixerat, dolentibus, et malam sortem viri optimi et hominis doctissimi plorantibus amicis. Huic se, et iter suum Stephanus commisit, imprudenti sane consilio, et caeca quadam in futura mala proclivitate. Ergo dum familiares difficillimo itineri suscipiendo omnia apparant, is omnes suos amicos toto mense Octobre alternis diebus invitat, et secum mensae assidere jubet, atque lautis epulis ad unum omnes reficit. Videbantur haec ultima esse cum amicis prandia ; et quamvis in iis adhuc intermicarent solitae ipsius et naturalis hilaritatis, urbanorumque salium quaedam indicia, attamen potior fuit ardui itineris cura, et quidam animi moeror, qui illi majorem venustatis, candoris et affabilitatis partem, qua ille in societate, et amicorum circulo mirum in modum pollebat, abstulit. Concitatus, et curarum pondere oppressus illius animus identidem ad novas occupationes transibat, et nunc manuscripta et typis excusa documenta perquirebat, quibus is in Gallia Ecclesiae Romanae jura, Pontificis auctoritatem, et vinculum pacis et unionis inter eum et Gallicarum Episcopos stabilire ac tueri posset, nunc vero instructiones et monumenta a D. *Boiret*, gallicarum Missionum ad exteras regiones antiquo Rectore, postulabat, quibus hoc sacrum Missionum opus et institutum iterum in Galliis restituere, et glorioso Francorum Imperatori Napuleoni commendare posset. Nec minor eum cura tangebat suorum amicorum Parisiensium Sylvestri de Sacy, Caspari d'Anse de Villoison, et A. L. Millin, Instituti Scientiarum Parisiis insignium virorum, ad quos ille libros et vetera sui Musei Veliterni monumenta perferre statuerat, quae illi per litteras, jam dudum ad Stephanum perscriptas, ab ipso petierant. Et congesserat is in vidulos, bulgas et

(41) Tria fuere *Octavii Augusti* carcinomata : *Agrippa* et *duae Juliae*. Vide Svetonium in *Augusto*.

fiscinas magnam recentium librorum copiam, quam Parisiis distribuere animo constituerat. Collegit is etiam, atque in peram reposuit veteres aegyptios scarabaeos et numos, quos ille cum paribus in Museo Imperiali Parisiensi asservatis numis commutare volebat, et votis A. L. Millin, numophylacii custodis, satisfacere gestiebat. His praesidiis munitus Stephanus se gallicano itineri commisit.

CAPUT X.

Stephani Cardinalis in Gallia obitus.

Anno MDCCCIV. die III. Novembris Summus Pontifex Roma discessit. Itineris comites sibi adlegit duos inclytos Purpuratos Patres Leonardum Antonellum, et Stephanum Borgiam, utrumque aetate provectum, et virtutis ac doctrinae laude insignem. His adjuncti fuere alii S. R. E. praeclari Cardinales, Romualdus Braschius de Honestis, Pii VI. P. M. nepos, Michael de Petro, Carolus Franciscus Casellus, Cardinalis Fesch, Archiepiscopus Lugdunensis, et apud S. Sedem cum summa potestate Galliae Legatus, ac denique Alphonsus Hubertus de Latier de Bayane, uterque gente Gallus. Hic sacer Senatus per portam Flaminiam exivit fere tota inspiciente et dolente Urbe, atque heic non plausus, sed lachrymae locum habuere. Quamvis Stephani Borgiae animum internae curae corroderent, quia tamen ut fortem virum addecet, in quosvis eventus paratus erat, sacram societatem, ipsumque summum Pontificem urbanis salibus ac eruditis sermonibus delinivit et erexit. Prospere rum ac jucundum per Italiam processit iter. Passis, ut ajunt, velis pervecti sunt Placentiam, Alexandriam, et die XII. Novembris nocte jam provecta Augustam Taurinorum, ubi eximius Belli dux *Menou*, Gallicis cohortibus stipatus summum Pontificem honorificè excepit, et Purpuratos Patres lautissima coena refecit (42). Inde progressi die XIV. adiverunt *Segusium* (Susa), urbem munitissimam, olim *Clavem Italiae* nuncupatam, et insequenti luce attigerunt *Novalicium* (Novalesa) oppidulum ad radices *Montis Cenisii* situm, quod jam *alpibus Cotiis* impositum ex Pedemontio in Sabaudiam per juga montium aditum praebet. *Novalicii* Summus Pontifex hexaphoro impositus in cacumen Montis Cenisii delatus fuit. Purpurati Patres sedibus pulvino stratis et tegmine praeditis ferebantur. Est in hoc praealto monte vasta et aprica planities, quam campum *S. Nicolai* dicunt, et in eo statio *Magnae*

(42) Confer Stephani Borson opusculum inscriptum. *Passage de S. S. Pie VII. Par la Vingt-Septieme Division Militaire en Novembre* 1804. (brumaire an XIII.) *Turin*, de l'Imprimerie Davico e Picco.

Crucis nuncupata , quae a libramento maris ad nongentas et septemdecim perticas in altum assurgit. Hinc non adeo distans , sed septuaginta et sex perticis sublimius situm est hospitum PP. Cisterciensium , in quo Sumus Pontifex ac Purpurati Patres cibo potuque sua corpora firmarunt . Postquam ibi duarum horarum spatio quietem caepissent , oblatus fuit Pontifici currus ornatissimus spumantium quadrigarum robori junctus, quo is e summo montis vertice in imam vallem ad Sabaudiae aditum ferri debebat . Sed renuit Pontifex currum conscendere , et iterum lecticam subintravit , ille autem traditus fuit Cardinalibus ejus comitibus , qui eo sub noctem pervecti sunt in primum occurrens Sabaudiae oppidum *Lans-le bourg* nuncupatum . Heic jam aperta , eaque acerba Stephanum Cardinalem intercaepit tussis, quam si ille quiete et opportunis medicamentis sistere tentasset, non increvisset morbi vis, vitaque ipsius fortassis hodiedum salva et incolumis esset. Aetas illius provecta , imbecillitas pectoris , itineris incommoda , concubia et prope extrema nocte sumptae coenulae , celitum penuria , humida nocturna hospitia , ipsa denique rigidi aeris intemperies eum jam Augustae Taurinorum divexare , et pectus illius humoris illuvie inficere coeperant. In tam deciso malo in primo quovis loco subsistendum , et corpus quiete , abstinentia , et medicamentis curandum fuit . Sed insana , et mihi certe haud probata philosophia , qua jam inde a Patavino itinere nullo valetudinis moderatore uti voluit , in causa fuit , ut spretis amicorum monitis atrocem et in dies ingravescentem morbum is usque Lugdunum in suo sinu deferret. Heic appulit die XVIII. Novembris , et e curru descendens statim aeger lecto decubuit . Vocati in consilium Medici , Thomas *Prelà* , Pii VII. P. M. in hoc gallicano itinere valetudinis moderator , quem Stephanus primò accersivit. Adjuncti deinde illi fuere , cura et diligentia amplissimi viri , Cardinalis *de Fesch* , Archiepiscopi Lugdunensis , *Petetin* et *Petit* , alii duo celebres ejus urbis in arte medica Professores , quibus tandem accessit Protomedicus Summi Pontificis *Carolus Porta* . Horum virorum diligentia et arte exhibita fuere morbo laborenti Stephano ad extinguendam vim febris , et depellendam peripneumoniam insignia medicamenta , injecta femoribus pyrotica cataplasmata , additusque ad diluendum pulmonem frequens et numquam intermissus mollis aquae potus . Sed jam tantopere increverat cruda pectoris illuvies , ut nulla arte , nullisque medicamentis concoqui , solvi , moverique posset. Suffocabat , virum et vocem animamque intercludebat durus , pulmonique insidens humor , atque immanis febris aestus , qui omnem spem praecidit depellendi morbi , atque instantem mortem jam non ambiguis indiciis annuntiavit. De viri vitae periculo certior factus Summus Pontifex , statim ad eum advolavit , et Stephani manum sua manu arcte complexus , altera ejus capiti imposita , caeles-

tem illi opem pientissime precatus est. Enituit in hoc ultimo amborum occursu Stephani vetus et naturalis animi candor; is quippe Pontifici fassus est, se jam triduo in itinere febrim in sinu tulisse, in ea curanda negligentem fuisse, et si quidem moreretur, hoc sua culpa accidere. Retulit hoc mihi ipse Summus Pontifex, postquam is e Gallia Romam redierat. Ergo dum Pontifex sollicte et properanter Lugduno Lutetiam Parisiorum iter prosequi cogitur, Stephanum curae Thomae *Prelà*, atque A. R. P. Francisci Aloysii *Fontanae*, Pontificii Theologi, ac viri celeberrimi singulari vigilantiae committit. Gliscente interea vi morbi, Stephanus animae noxas sacra exomologesi purgat, atque Ecclesiae ritu S. Eucharistiam e manibus pientissimi viri, S. R. E. Cardinalis, Leonardi Antonelli, die XX. Novembris sub vesperam magno devotionis sensu suscipit. Et huic quidem sacrae functioni adstitere non solum Eminentissimi S. R. E. Cardinales Michael de Petro et Carolus Franciscus Casellus, aliique R. E. Praesules, sed etiam Vicarii Archiepiscopi Lugdunensis, et Metropolitanae illius Ecclesiae Canonici, quos vigilantissimus Antistes, Cardinalis *Fesch* continuò adesse jussit. Summo Pontifice cum suis comitibus Lugduno jam excedente, Stephanus sub horum optimorum virorum vigilanti cura remansit, iique ad unum omnes testes sunt magnae illius fidei, fortitudinis, et patientiae, qua Stephanus animo in divinam voluntatem comparato morti oviam ivit. Supremis tabulis omnis suae supellectilis haeredem S. Congregationem de Prop. Fide instituit, Museum autem suae paternae domui addixit. Dum illum vis morbi aestusque animi vehementius oppugnabat, languida jam et defficiente voce dixit: *Deus meus, Deus meus patientiam meam corrobora, et confirma me*. Tum injectis oculis in Christi Servatoris e cruce pendentis imaginem, amissa voce, sed adhuc integra mente ultimo eliso suspirio animam reddidit hora quinta et dimidia vespertina, die XXIII. Novembris, S. Clementi M. Sacra, cujus is in vita eximius cultor erat, et a quo is sibi cardinalitium titulum adsciverat. Hac ratione e vivis ereptus est Stephanus Borgia, S. R. E. Cardinalis, Patriae decus, Sacri Romani Senatus insigne ornamentum, virorum litteratorum corona, amicorum deliciae, SS. Missionum singularis Patronus, scientarum ardens fautor, meus eximius Mecoenas, pauperum Pater, jurium Ecclesiae Romanae acerrimus vindex, vir in Europa et Asia celeberrimus, quem nulla umquam obscoena fabula notavit, et cujus animum nullus umquam avaritiae ignis adussit. Rectus, candidus, affabilis, omnis mali artificii expers, charitate insignis, doctrina praeclarus, is numquam morum oppositionem cum id quod docuit, admisit; sed rigidus sui custos, viri ecclesiastici perfectum exemplar se Romae, Patavio, et toti orbi praebuit. Nec in extremo quidem morbo festivos, urbanosque sales, quibuscum natus esse vi-

debatur, dimisit ; nam cum a Medico *minutis poculis* hordeaceam potionem frequenter sorbere juberetur, nescio quid *Horatianum* accinit. Mortem non expavit, sed ut debitum naturae, et poenam peccati animo imperterrito conspexit, eamque sibi immissam libenter admisit. *Io* ; inquiebat ille, *io moro volontieri, per essermi mosso da Roma per servire il Santo Padre, e per contribuire dal canto mio al bene sempre più grande della Religione* (43). His verbis absque dubio ille indicare voluit, suam in Galliam profectionem eo collineasse, ut suum de restituendis gallicis Missionibus consilium, quod jam diu ipsius animo inhaerebat, exequeretur. Cadaver defuncti, exsectis intestinis, a morborum peritis inspectum, signa exhibuit ulcerum in pulmone, nec in extremis visceribus plane sanum ; quod per D. *Macors* pollinctorem aromatibus delibutum, curatumque, triduò, id est, die dominica, secunda et tertia feria, magnifico funebri lecto illatum, in archiepiscopalis palatii intimo sacello more romano collocatum expositumque fuit. Eadem feria III. sub vesperum omnia Lugdunensis Urbis aera campana ex altis turribus suo lugubri sono insequentis diei funebres annuntiarunt exequias, ad quas convolaverant non solum omnes pientissimae Urbis Sacerdotes, sed etiam ex proximis villis et collegiis ingens multitudo hominum, quam tam illustris viri et hominis celeberrimi fama ad hoc lugubre spectaculum acciverat. Feria IV. hora fere X. matutina cadaver sublatum, longo per urbis plateas circuitu hinc et inde maxima pompa circumductum, omnium ordinum Proceres, ecclesiastico, civili et militari splendore conspicui, lento et gravi passu sequebantur, quam funebrem pompam auxit inter sonantia e turribus aera ingens tormentorum bellicorum fragor, quo tota urbs concussa fuit. Postquam illi honestissime atque amplissime parentatum fuisset, cadaver iterum in maxima Lugdunensi metropolitana aede collocatum est, eoque praesente D. *Courbon* ad majorem aram rem divinam peregit, et vir suavissimus, Abbas *Bonnevie*, ejusdem ecclesiae Canonicus, funebrem laudationem recitavit (44) ; quam ille praeclare executus est, quia Stephanum Romae noverat, et illius virtutes perspectas habebat. Solenni sacrificio peracto, allata est plumbea urna, in qua cadaver aptè com-

(43) Confer *Elogio della Chiara Memoria dell' Emo e Rmo Signor Cardinale Stefano Borgia, scritto in una lettera dal Signor Abate Francesco Cancellieri*, Parma, MDCCCV. p. 18.

(44) Eloge Funebre de S. E. Monseigneur Etienne Borgia, Cardinal de la Ste Eglise Romaine, du titre de S. Clement, Préfet de la Congr. de la Propagande de la Foi, Préfet de la Congregation économique, Préfet des Etudes du College Romain, Membre de la Congr. du S. Office etc. mort a Lyon le 23. Nov. 1804., prononcé le 28. Nov. du meme Mois, dans l'Eglise Metropolitaine par M. l'Abbé Bonevie, Chanoine de la meme Eglise. A Lyon de l'imprimerie de Ballanche Pere et fils 15. pag. in 8.

positum in hypogaeo Sacelli S. Michaeli Archangelo dedicati in eadem metropolitana ecclesia collocatum fuit. Hac ratione accessit huic insigni ecclesiae novum funebre ornamentum anno MDCCCIV., postquam eadem jam ab anno 1274. sacris exuviis D. Bonaventurae S. R. E. Cardinalis et Doctoris Seraphici amplissime adornata fuit. Hic Gregorium X. ad II. Lugdunense Generale concilium pro unione Graecorum secutus fuerat, ibique die XIV. Julii obiit, ille vero Pii VII. P. M. in Galliam proficiscentis illustris comes, exacto jam septuagesimo secundo suae aetatis anno, senectute et virtute venerabilis, ad conciliandos, et Ecclesiae aggregandos Asiae et Americae Infideles Galliam petens, Lugduni singularis sui meriti a Deo immortalem coronam accepit. Neque hic silentio supprimere decet singularem populi Lugdunensis in Stephanum Cardinalem venerationem, qui dum exangue corpus ejus in ecclesia funebri sandapilae impositum conspexisset, tanto devotionis impetu in eum irruit, ac vestes illius discidit et dilaceravit, ut necesse fuerit illud intra ferrea sacelli clathra recondere, atque custodem militem adhibere. Sunt qui portenta et miracula narrabant, eaque typis excusa divulgabant. Irriserunt haec aliqui Lugduni, irriserunt ea et Romae. Ego, quamvis populares impetus non probem, neque portentis facile fidem praebeam, irrisoribus illis dictum volo, atque ut illi in animo defixum gerant exopto, intempestivam illam Stephani dicacitatem, aliasque levioris momenti culpas, quas hi censores in illo notarunt, tantas non esse, quae admirabilem ejus charitatem, virtutum omnium fundamentum, in eo exstinxerint. Tota ejus vita candor, charitas et Religio fuit, et has virtutes is in sepulcrum intulit. Non humani, sed divini consilii est, vitam mortemque hominis miraculis illustrare, quae divina consilia cum irrisores illi penitus ignorent, sunt illi irrisione digni, dum alios irrident. Philosophos et incredulos non moramur: neque enim illi in toto suo grege unum virum, Stephano Cardinali virtutibus et doctrina parem, nobis exhibere possunt. *Philosophia* ait Marcus Aurelius, *est vitae humanae purgatio et perfectio*: hac autem perfectione Stephanus omnes nostros philosophos longè superavit.

CAPUT XI.

Stephani Cardinalis virtutes ac Vitia.

Tria sunt, quae Stephani morum integritati ac splendori obesse videntur, quaeque a nobis commemoranda sunt, ut rigidis alienae labis censoribus satisfaciamus, et ne illud, quod illius consummatae virtutis famae obnoxium esse videtur, effugisse dicamur. I. Vitio vertitur

ipsi a quibusdam illa jocandi facilitas, qua per risum, et importunos sales familiariter ludebat, et facetè cavillabatur. II. Quidam ardens et acerrimus gloriae stimulus atque ingenii praecalidus aestus, quo ad nominis famam sibi comparandam efferebatur, et quasi nullum temperantiae dabat locum. III. Intolerabilis quaedam hominis intemperies in profundenda laude in eos viros, quorum studia ipsius ingenio congruebant aut docta dexteritas animum ejus praeoccupabat. IV. Acres quidam irae impetus, ob quos illi, qui ejus indolem perfectè non cognoverant, vel animo indignati ab eo aperte discesserant, vel abscondita quadam malevolentia apud socios objurgabant, coram vero simulatione officii non ex animo, sed tamquam per insidias laudabant. Haec, et non alia ego, qui fere per XIV. annorum spatium domi forisque in intima viri familiaritate versatus sum, in eo notavi; nec desunt alii plures ex ejus amicis, qui haec eadem animadverterunt, et accuratius commemorarunt. Sumus enim omnes in nosmetipsos caeci et muti, in alios perpicaces et garruli, quorumque potior cura est scire, quid alienae domi agatur, quam quid suae. Primum illum naevum quod attinet, offendit illo Stephanus duplex hominum genus, scilicet *tristes taciturnos*, et *versutos*, quorum ingenium callidum, multiplex, et tortuosum, gravitatem, honestatemque spirat, quamvis a justitia et veritate quam longissime absit. Et hos quidem offendisse nulla noxa est, hi enim civilis, honestaeque societatis pestes sunt, et cum condido ac faceto Stephani animo numquam conjungi potuerunt, utpote quos natura et educatio tam longe ab illo disjunxerat. Est liberi atque ingenui hominis semper vera dicere, et viri prudentis *tristes taciturnos*, ut alta flumina, vitare. Intempestiva aliquando fuit Stephani dicendi libertas et jocandi facilitas, sed quia ex animo aperto et candido procedebat, in multis benevolentiam, fiduciam, ac res suas edicendi libertatem excitavit, eique quamplurimos amicos adjunxit. Ex adverso pauci sunt illi, qui corrugatam superbamque frontem non fastidiant, et homines *taciturnos* ac *versutos* sibimet insidiari non arbitrentur; ex quo fit, ut nulla certa fiducia, amicitia et societas inter illos coalescere possit. II. Est gloriae cupiditas quaedam animi febris, sed ea non afficit nisi animos excelsos, e quorum numero fuit Stephanus Cardinalis. In hoc gloriae cardine vertebantur illius actiones, sed fuerunt illae beneficae, societati humanae perutiles, et quod rei caput est, ad majorem Ecclesiae gloriam atque Divinum honorem directae. Naturae humanae imbecillitatem ii non satis perspectam habent, qui animos excellentes adeò puros desiderant, ut ne tantillum quidem eis humani fumi adhaerescat dum per ignem transeunt. Et summi viri gloriam quaerunt, et ii, qui eorum gesta interpretantur ac dijudicant, nil nisi plausus et hominum

opiniones aucupantur. Felix est ille, qui sibi moderari novit (45). III. Erat Stephanus liberalis et effusus in aliquibus collaudandis, sed et hoc ex ipsius bono, rectoque animo processit. Nescit limites vera amicitia, praecipuè vero dum de amici laude agitur, quae necessariò dimidium animi rapit et afficit, atque in laudibus amici fere omnes suas delicias reponit (46). IV. Irae impetus Stephanus egregiè frangere novit; et si aliquando paulò vehementius exarsit, statim in se ipsum rediens, comis et mansuetus evasit, quin imo illos, in quos ira commotus fuerat, benignius quam anteà complectebatur, atque munusculis afficiebat. (47) Ceciderat storea, januam operiens in Veneto Conclavi, e manibus *Nicolai Bonomi*, et cadendo Stephani faciem laesit. Uno eodemque momento exarsit illius ira, et hujus animi dolor: quem cum Stephanus vidisset, nihil est, inquit, casus est iste, qui me non laedit. Mille et amplius huic similia exempla afferri possent, quae omnia comprobant, eum egregie animum suum temperare didicisse.

Hisce quatuor animi vulneribus, quae Stephanum paulisper afficere videntur, ingentem opponimus virtutum turmam, qua ille ab ineunte aetate usque ad extremam senectutem semper stipatus incessit. Avita ei fides et pietas in Deum; a qua ne unguem quidem a prima praetexta usque ad obitum recessit. E sacro *Proverbiorum* codice, ex Epicteto, Publio Syro Mimo, aliisque sanae Ethices auctoribus sententias et apophtegmata aliqua jam juvenis collegerat, et chartulis inscripserat, ad quorum normam suam vitam exigeret. Has pagellas iis libris insertas tenebat, quibus ille frequenter et pene quotidie utebatur, ut ita facile in ejus conspectum venirent, et sapientiae ac probitatis memoriam continuò refricarent. Vidi ego similia monumenta, ejus manu descripta, in libro canonicarum precum, quo is utebatur; et viri solertiam ad-

(45) *Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,*
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jure tenebis
Quum poteris rex esse tui.

Claudianus.

(46) Decorus locus est apud *Plinium Jun.* lib. VII. epist. 28., qui accusatus, quod amicos suos plus aequo dilaudaret, respondit: *Quid honestius culpa benignitatis? Qui sunt isti qui amicos meos melius norint? Sed ut norint, quid invident mihi felicissimum errorem? Ut enim non sint tales, quales a me praedicantur, ego tamen beatus, quòd mihi videntur.*

(47) Accidit saepissime, ut is *Antonium Fulgonium* suum typographum ob commissa in typis menda a conclavi et conspectu suo uno irae impetu expelleret, tum extemplò in se ipsum rediens, eumdem benigne revocabat, et potione, quam *ciocolatam* vulgò dicimus, laute et jucunde reficiebat.

miratus sum, qua is avitae probitati servandae tam accuratam et diligentem operam navaverat. Quotiescumque, doctus licet, sed improbus vir coram illo dilaudabatur, is confestim quasi respondens interrogabat: Et quomodo haec improba facta cum Religione componuntur? Nullam scilicet ibi Religionem esse censebat, ubi suum principatum exercet improbitas, parumque illam valere doctrinam, cui prava opera adversantur. Quid Stephanus in Dei honorem et Religionis augmentum in toto terrarum orbe contulerit, ex innumeris ejus epistolis, decretis, et sanctionibus, quae illius nomine insignitae sunt, et hodiedum per Europam, Asiam, et Affricam circumferuntur, facile dignosci potest. Audeo dicere, nullum fuisse a duobus seculis in sacro Cogregationis de Prop. Fide coetu, tam solertem, et promovendae Religionis Christianae tam studiosum virum, qualis erat Stephanus Cardinalis, dum utroque munere, a *Secretis* nempe, ac deinde *Praefectura* S. Congr. de Prop. Fide acri et non intermisso studio perfunctus est. Repetebat ille identidem illud D. Pauli: *Quomodo praedicabunt nisi mittantur?* Et addebat: *quomodo praedicabunt nisi honestè alantur?* Hinc maxima illius in Fidei praecones cura, de quorum laboribus et fidei incrementis per litteras certior fieri voluit; atque illos Christi Fideles, qui singulare aliquid pro Fide passi sunt, suis epistolis laudavit, aliis dona, iterumque aliis honoris insignia impertivit. Sic ille anno MDCCCIII. in Chaldaeam scuta romana argenti quinquaginta cuidam Christiano misit; quod is in Turcico tribunali constitutus, confessione publica constanter Christum praedicaverit, et excisa a faucibus lingua, in urbe *Bagdad* coram ingenti hominum multitudine Christianam fidem, unam, veram, solamque ad aeternam animae salutem consequendam, necessariam esse, digno atque heroico certamine pàlam demonstrare ausus sit. Sic is iterum in Malabaride *Franciscum Fernandez*, indigenam Malabarensem, aurei calcaris Equitem instituit, quod is apud Regem Travancoridis *Ràma Varmer*, Principem Paganum, Christianos sua opera, voce et scripto defendisset. Execrationis crimen in aedibus suis numquam animo tranquillo tulit, et famulos illos, quos hac detestabili peste inquinatos esse comperiebat, statim domo expulit; Alexandri Borgiae, Patrui sui exemplum secutus, qui publice et privatim vanam Divini Nominis invocationem, et horrendum blasphemiae crimen Firmii severissimis legibus proscripserat. Publicam pauperibus elemosynam toties impertivit, quoties domo egressus est; clandestinas autem largitiones Parrocho singulis hebdomadis tradi voluit, ad illius arbitrium inter egentes, quos *verecundos* vocant, distribuendas. Ad elemosynas elargiendas viros Ecclesiasticos, et amicos suos comiter et blande exhortabatur, accinebatque illis, hanc esse viam brevem, atque methodum securam, qua quisque sua peccata redimere possit. Addebat: Ecclesia-

sticis viris id oneris singulariter incumbere, ut superfluum pauperibus distribuant : a qua antiquissima Ecclesiae lege nemo eos eximere possit (48). Animae noxas sacra exomologesi saepissime eluebat, ad quam se stando versa in pendentem ex ligno Christi effigiem facie praeparabat, et ne conscientiae moderator abesset, dum per proximas Romae civitates officii causa divagabatur, P. Pasqualem a Roma, Min. Obs. sibi comitem adjungebat. Regulam S. *Benedicti*, ut jam monuimus, semper secum deferebat, ad cujus praecepta et normam is suam vitam componebat. Hanc regulam mira judicii, et ut ajunt, *discretionis* vi pollere, non semel palam edixit, eamque ipsis temperandis regnis valdè idoneam et opportunam esse pronuntiavit. Virtus illius nec aspera, nec austera fuit, sed facilis, benigna, affabilis, proximi amans, pura, simplex, humanitati, et eximiae humilitati conjuncta. *Hoc ego scio, illud nescio, et quod nescio, asserere non audeo*, commune et quotidianum Stephani Cardinalis effatum fuit. Avaritiae labem numquam ipsius animum foedasse, jam supra diximus. Viro Ecclesiastico rem maxime indignam esse existimabat, agrorum, pecuniarum, nepotumque curam gerere. Justitiae cultor eximius, numquam adduci potuit, ut iniquum suffragium ferret, aut aliquod commodum cuipiam addiceret, quod jure et merito adjudicandum esse, non censeret. Cos justitiae sunt dona. Et ab his ille semper abhorruit, dum in pertractandis causis aliquid nequitiae latere perspexit. Dum quidam audaci et temeraria fronte eidem certam numorum aureorum summam pro coemendo quoddam officio obtulisset, ipse respondit : se auri indigentem non esse. Viri candorem et sinceritatem quod attinet, tam candidus, atque ab omni fuco, mendacio, et assentatione alieno animo fuit, ut se continere nequiret, dum aliquem tortuosum, aut assentationis artificio implexum sermonem audiret. Prorumpebat is statim, indignabatur, et assentatores tamquam *corvos*, qui oculos eruunt, fugiebat. Non sum, inquiebat ille, e silice natus, ut non commovear, dum me blandis sermonibus illaqueare vultis. Inter paucos amicos maxime diligo Stephanum, dicebat mihi summus vir Antonius Capycius Minutulus ex Principibus Canusii, et ratio in promptu est, quia is animum suum palam, et quasi in vola manus expositum gestat. Gratus fuit, et semper memor hic animus beneficiorum illorum, quae amici Stephano praestabant. Vacillabant adhuc ipsius pedes ex infirmitate, qua in *Cambiasiis* aedibus divexatus fuit, cum ille se e lecto proripit, ad scrinium properat, et Dionysio Trigo, suo familiari plures aureos numos

(48) Vid. *Canon* CIV. *Ecclesiae Universae*, qui est Concilii *Antiocheni*, an. Christi CCCXLI. celebrati, pag. 65. in Codice *Canonum Eccleciae Universae*; edit. Christoph. Justelli, Paris. 1690.

adnumerat, ut gratiam referret pro praestito auxilio et cura, quam is Stephano ex morbo decumbenti impendit. Me etiam suis beneficiis cumulavit, quod eidem in hac ipsa infirmitate diligens curator adstiterim. Tanta Stephano inerat humilitas et urbanitas, ut non puderet sub Solis occasum Litteratos adire viros, et cum illis in miseris architriis dulces miscere sermones, in quibus vel ipse doceret aliquid, vel vicissim doceretur. Saepe is invisit R. P. Ant. Augustinum Georgium, R. P. Gabrielem Fabricium, Philippum Ang. Becchettum, Georgium Zoega, Arevalum, Amadutium, Cajetanum Marinium, Aloysium Nuzzium, me ipsum, et plures alios. Singulare, et memoratu dignum est illud facinus, quod anno 1793., dum populari motu Gallorum advenae Romae commorantes injuriis affecti suis sedibus exturbabantur, Stephanus de amici sui, Equitis *D'Agincourt*, salute sollicitus, eum celeriter adierit, atque ut eum populari vexationi subtraheret, vehiculo impositum, in suas aedes et conclave perferre conatus sit, ibi et parcam suam mensam, et alia omnia verae amicitiae obsequia exhibens. Tritum est illud Jani Anysii effatum: *Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas*. Et calamitas aperuit, Stephanum non fuisse inane amici nomen, sed amicum, qui praecipuè calamitatis tempore amicis suis subvenerit, ex morbo decumbentes diligenter inviserit, aere et largitionibus suis adjuverit, donis et munusculis frequenter cumulaverit. Fuit hac Stephani Cardinalis urbanitate et charitate Joh. Christophorus Amadutius tantopere commotus, ut dum extremo morbo decumbens Illum ad se accedentem conspiceret, exclamaverit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*. Quae quidem sacra verba, non satis prudenti consilio prolata, non aliter accipienda sunt, quam quae et Stephani eximiam charitatem, et Amadutii ad tam insignis hospitis conspectum in animo excitatam commotionem significent. Illius ardentem charitatem, qua in pueros, quos *projectitios* vocant, ferebatur, jam supra attigimus. Eximia Stephani fortitudo enituit non solum in binis lethalibus morbis, quos magno et invicto animo sine gemitu et querimonia pertulit, sed cumprimis Anno MDCCLXXXXVII., quo vertente carceris romani et centumcellensis acerbas aerumnas cupidè et libenter devoravit. Semper hilaris, et semper sibimetipsi constans, naturae dolores Religione, et praeclara in Deum Charitate temperare novit; et dum mens ipsius sana et inconcussa Religioni, honestati, probitatique firmiter inhaesit, corpus suum Deo, Catholicae Ecclesiae, et Summo Pontifici in sacrificium offerre non distulit, ut eum Martyrem occubuisse, jure meritoque dicere possis. *Stephanus Borgia Martyr occubuit*, effatus est Pius VII. P. M., dum ego hoc labente anno, die XXV. Maji eidem Summo Pontifici Stephani mentionem injeci; indoluitque ad tanti viri obitum, qui Deo charus, Ecclesiae, et Summo Pontifici perutilis, totique fere generi hu-

mano salutaris fuit · Haec est mea de Stephani Borgiae , S. R. E. Cardinalis , vita et moribus opinio , quam aliorum judicio , ut ingenuum scriptorem addecet , lubens submitto (49) ·

Fuit Stephanus staturae mediocris et liberae , quam ne suprema quidem aetas depressit , aut immutavit · Corpus illi robustum , non opimum , neque gracile , sed aequae molis , elegans , solutum , et ad omnem motum facile ac pronum . Formam ad dignitatem appositam vox , gestus , motusque corporis decorus ac temperatus exornabat . Capilli a senecta candidi in unum levem cincinnum compositi cervici insidebant . Frons alta , praenitens , et aperta clarae ac honestae indolis hominem exhibebat , eadem paulo contractior , dum animum aliqua mordacior cura occupabat . Facies illi globosa , nec invenusta , utpote quae etiam jejuno stomacho niteret , et ruberet . Ex oculis subnigris et praenitentibus dexter levi macula aspersus erat , ambo tamen arguti , blandientes , et humanitatis ac benevolentiae pleni . Mentum illi bifidum et pingue · Incessus illius non concitatus , sed gravis et decorus fuit , qui totam corporis formam et dignitatem addeceret · Vocem in eo leniorem , et pectoris imbecillitatem jam alibi notavimus ·

Stephanum sibi socium asciverat Litteraria Academia Hetrusca Cortonensis , Florentina , Firmana , Palermitana , Alexandrina , Arcadia Romana , Regii Lepidi , Asyli , Romana S· Lucae , Anagnina , Patavina , Hafniensis , Gottingensis , Firmanae a Secretis fuit et restitutor , Romanae Theologicae Censor et a Secretis · Volscorum Veliternam , celebrium virorum fama claram , ipse instauravit , et leges tulit . Galliae scientiarum Instituto , quamvis humanissimis litteris provocatus , ob provectam aetatem suam adscribi noluit . Anglicae Calcuttanae in Orientali India per Fidei praecones communione litterarum et librorum junctus fuit , ab eaque anno 1804. die 8· Octobris , paulò priusquam in Galliam contenderet , ephemerides litterarias accepit , quas *Nelson Bronte* ex portu Neapolis ad eum expedivit : et ex his patet , C. Gowan , et W. B· Martins in linguae *Samscrta* studio valde profecisse . Operum , quae Stephanus elucubratus est , elenchum in unam pagellam contrahimus , ut Lectorum menti et memoriae inhaereant , et uno oculi intuitu dignoscantur . Vixit Annos LXXII· , Menses XI· Dies XXIV.

(49) *Praecipere qualis esse debeat Princeps , pulchrum quidem , sed onerosum , ac prope superbum est : laudare autem optimum Principem , ac per hoc posteris , velut e specula lumen , quod sequantur , ostendere , idem utilitatis habet , arrogantiae nihil* . Plinius Junior *lib. III. , epist.* 18.

CATALOGUS

Operum ab amplissimo Cardinale Stephano Borgia

in lucem editorum.

I. *Monumento di Papa Giovanni XVI.* Roma 1750.

II. *Dissertazione sopra un' antica Iscrizione rinvenuta nell' Isola di Malta nel* 1749. nel Giornale de' Letterati per l'anno 1751. Roma per i Fratelli Pagliarini in 8. tom. VII. pag. 21.

III. *Apologia del Pontificato di Benedetto X.* Nel *Saggio Critico* della Storia Letteraria d' Italia. Modena 1756. a spese Remondini in 8. tom. I. par. I. pag. 161., par. II. pag. 347., e par. III. pag. 605.

IV. *Breve Istoria dell' Antica Città di Tadino nell' Umbria, ed esatta Relazione delle ultime ricerche fatte sulle ruine.* Romae ex Typogr. Palladis 1752. Nelle *Symbolae Litterariae* Vol. III. in 8. pag. 30.

V. *Dissertatione Filologica sopra un' antica Gemma.* Nella Raccolta d' Opusc. scient e filolog. del P. Ab. D. Angelo *Colagerà*, Venezia 1757. in 12. pres. Simone *Occhi*, tom. III. pag. 413.

VI. *Istoria della Pontifizia Città di Benevento dal Secolo VIII. al Secolo XVIII. divisa in III. parti.* Roma dalle stampe del *Salomoni* 1763. 64. 69. tom. III. in 4. gr.

VII. Ascanii Columnae Cardinalis Oratio ad Sixtum V. P. M. de suo in Urbem reditu ad Cardinalatus insignia suscipienda, quam ex cod. ms. Vaticano nunc primum profert S. B. In *anecdotis litterariis* ex *codd. mss.* erutis, Romae 1773. Vol. I. in 8.

VIII. Blosii Palladii Romani Oratio de praestatione obedientiae Rhodiorum Leoni X. P. M. . et Senatui Apostolorum dicta, quam ex *cod. mss.* Ottoboniano Vaticano Sec. XVI. nunc primum in lucem profert S. B. In *anecdotis litter.* 1773. pag. 163.

IX. Kalendarium Venetum Seculi XI. ex cod. ms. membranaceo bibl. S. Salvatoris Bononiae. In *anecd.* sup. p. 441.

X. Pii II. P. M. Oratio de bello Turcis inferendo, eruta ex schedis authographis, et anecdotis Monumentis illustrata. In *anecd. litter.* 1774. Vol. III. pag. 245.

XI. Dissertatio et annotationes in Opusc. Augustini Card. Valerii *De Benedictione Agnus Dei.* Romae 1775.

XII. Vaticana Confessio B. Petri Principis Apostolorum chronologicis tam Veterum quam Recentiorum Scriptorum testimoniis illustrata. Romae 1776. ex Typ. S. C. de Prop. Fide, in 4.

XIII. Dissertatio de Sacramento Extremae Unctionis apud Orientales. In opere R. P. D. Joan. Chrysot. Trombelli de *Extrema Unctione*, Bononiae 1777. tom. III. pag. 92.

XIV. Compendium Ordinis Alexandrini illustratum, atque latina lingua donatum unacum ceteris Orientalium Ecclesiarum de sacra *Elajo* lampade officiis editum. Supra apud Trombellum, et P. Georgium *De Miraculis S. Coluthi*, pag. 360. Romae 1793. τὸ ἁγίου ἐλαίῳ ἡ χρίσις, est apud Graecos *Sancti Olei unctio*.

XV. De Cruce Vaticana ex Dono Justini Augusti. Romae 1779. in 4. ex Typ. S. Congr. de Prop. Fide.

XVI. De Cruce Veliterna Commentarius. Romae Typis S. Congr. de Prop. Fide.

XVII. Fragmentum Copticum ex Actis S. Coluthi Martyris erutum ex membranis Vetust. Seculi V., ac latine redditum. In *Anecd. Litt r.* 1783. tom. IV. pag. 47., et recusum a R. P. Georgio in op. *De Miraculis S. Coluthi*.

XVIII. *Breve Istoria del Dominio Temporale della Sede Apostolica nelle due Sicilie*. Roma 1788.

XIX. *Difesa del Dominio Temporale della Sede Apostolica nelle due Sicilie, in risposta alle scritture pubblicate in contrario*. Roma 1791. in 4.

XX. *Disinganno nelle parole ai Popoli della Europa tutta*. 1797. sine loco et nomine, in 8. pag. 24.

XXI. *Orazione in lode di Clem. XIII. per la sua esaltaz. al Pontificato*. Roma 1758. in 4.

XXII. *Orazione in lode di Clemente XIV. per la sua esaltaz. al Pontificato*. Roma 1771. in 4. Confer. Aloysii Nuzzi S. R. E. Praesulis clarissimi Opusculum inscriptum: *Lettera di A. L. Nuzzi, Prelato Domestico del S. P. sull' origine ed uso del nome PAPA*. Padova 1798. pag. XXII., in quo ea opera recensentur, quibus edendis stimulos addidit, et manum adjutricem porrexit amplissimus vir Stephanus Cardinalis.

MANUSCRIPTA.

I. Prima lineamenta et varia notamina ad concinnandam vitam P. Mancinelli; civis Veliterni; viri seculo XV. litteris, et editis variis operibus clarissimi, qui obiit An. 1505. Hujus opera omnia collecta Stephanus, praemissa Auctoris vita, publica luce

donare animo constituerat, sed gravioribus negotiis officiisque implicatus non perfecit.

II. Notamina et varia schediasmata ad describendam *Historiam Nauticam Dominationis Pontificiae*, ad quam complendam in promptu habuit DCCC. documenta inedita.

III. Apographa, excerpta, et indices Tabularii S. Congr. de Prop. Fide, in quibus prima ejusdem institutio, decreta, sanctiones, Ecclesiasticae, topographicae, et historicae relationes fere omnium Missionum breviter et succinctè continentur; idoneique sunt et opportuni, accedente secunda manu, ad Universae Ecclesiae historiam conscribendam, in illis enim Religionis status Christianorum Coptorum, Syrorum, Chaldaeorum, Armenorum, Persarum, Iberorum, Malabarum, Tibetanorum, Peguanorum, Siamensium, Sinensium, aliorumque traditur, et delineatur.

IV. Fasces et volumina authographa epistolarum litterariae necessitudinis inter Stephanum ac ejus amicos, atque Fidei praecones circa Museum Borgianum Veliternum, ejusque monumenta, ex Europa et Asia allata, vel afferenda.

V. Suffragia innumera vel per seipsum, vel per doctum virum Ab. Puliti, Stephano a Secretis, litteris consignata, quae is in variis Congregationibus, et Ecclesiae gravissimis negotiis tulit.

VI. Diarium Conclavis Veneti, et prima lineamenta pro Commentario in maritimum iter Pii VII. P. M., de quo supra.

VII. Monita ad S. R. E. Cardinales Venetiis anno 1799. existentes de procuranda bonorum temporalium Ecclesiae Romanae restitutione.

VIII. Monita eligendo novo Summo Pontifici exhibenda, ad spiritualem totius Ecclesiae administrationem rectè et feliciter obeundam. Scripta Patavii An. 1799.

Opera, ad illustranda Musei Borgiani monumenta a Litteratis viris in lucem edita, jam supra breviter recensuimus.

CATALOGUS

Operum, quae edidit P. Paulinus a S. Bartholomaeo, Carmelita Discalceatus, Collegii Vrbani S. Congregationis de Prop. Fide Studiorum Praefectus, et S. Indicis Congregationis Consultor.

Cum in hoc Catalogo plura opera locum habeant, quae munifica cura et aere *Stephani Borgiae* Cardinalis vulgata fuere, grati animi ergo in amplissimum virum ea recensere convenit, ut illius eximius ardor in promovendis politioribus litteris, et philologicis argumentis illustrandis acre studium eò amplius eluceat.

I. *Sidharùbam*, seu Grammatica Samscrdamica. Romae typis, et impensis S. Congr. de Prop. Fide an. 1790. Sc. Baj. 50.

II. Centum Adagia Malabarica cum textu autographo, et versione latina. Romae apud Ant. Fulgonium sumptibus Auctoris. 5.

III. Systema Brahmanicum Lythurgicum, Mythologicum, et Civile ex Monumentis Indicis Musei Borgiani Velitris. Romae apud Ant. Fulgonium, sumptibus amplissimi viri, Stephani Card. Borgiae, an. 1791. in 4. adjectis XXXII. tabulis in aes incisis. 1. 60.

IV. Examen Historico-Criticum Codicum Indicorum Bibliothecae S. Congr. de Prop. Fide. Romae 1792. typis et impensis ejusdem S. Congr. 30.

V. Musei Borgiani Velitris Codices Manuscripti Avenses, Peguani, Siamici, Malabarici, Indostani animadversionibus illustrati. Romae 1793. apud Ant. Fulgonium sumptibus Stephani Borgiae Card. 70.

VI. Scitismo Sviluppato in Risposta alla Lettera del Sig. Conte Castone della Torre di Rezzonico. Roma ap-

presso Fulgoni 1793. Sumptibus Stephani Card. 20

VII. India Orientalis Christiana . Romae 1794. typis Salomonianis, sumptibus Auctoris. 70.

Et ejus exemplaria in charta regia. 1.

VIII. De Veteribus Indis Dissertatio . Romae 1795. apud Ant. Fulgonium impensis Auctoris. 30.

IX. Viaggio Alle Indie Orientali , Umiliato Alla Santità di N. S. Papa Pio VI. Roma 1796. appresso Fulgoni , sumptibus typographi et Auctoris . 1.

X. *Amarasinha* , Sectio Prima de Caelo , ex tribus ineditis Codicibus Indicis. Romae 1798. sumptibus Auctoris 50.

XI. Musei Caesarei Vindobonensis Numi Zodiacales animadversionibus illustrati . Vindobonae 1798. sumptibus Georgii Binz bibliopolae . 50.

XII. De Codicibus Indicis Manuscriptis R. P. Joannis Ernesti Hanxledem Epistola . Vindobonae 1799. impensis Auctoris. 5.

XIII. De Antiquitate et Affinitate Linguae Zendicae , Samscrdamicae et Germanicae Dissertatio . Patavii 1799. typis Seminarii , et impensis Stephani Borgiae Cardinalis. 40.

XIV. Mumiographia Musei Obiciani . Patavii 1799. typis Seminarii , sumptibus illustris viri Marchionis Obicii . 40.

XV. Monumenti Indici del Museo Naniano illustrati . Padova 1799. , sumptibus illustris , et Senatorii Ordinis feminae , D. Mocenigae Vendramin Nani . 30.

XVI. Jornandis Vindicae de *Vàr* Hunnorum . Romae 1800. apud Ant. Fulgonium , impensis Stephani Cardinalis Borgiae . 25.

XVII. De Latini Sermonis Origine et cum Orientalibus Linguis connexione Dissertatio . Romae 1802. apud. Ant. Fulgonium sumptibus auctoris . 25.

XVIII. De Basilica S. Pancratii M. extra Urbis Moenia Disquisitio . Romae 1803. apud Ant. Fulgonium , sumptibus auctoris . 30

XIX. *Vyàcarana* , seu locupletissima Samscrdamicae Linguae Institutio . Romae 1804. typis et impensis S. Congr. de Prop. Fide . 1. 50.

XX. Vitae Synopsis Stephani Borgiae , Amplissimi S. R. E. Cardinalis , S. Congr. de Prop. Fide Praefecti . Romae 35.

1805. apud Ant. Fulgonium sumptibus Auctoris. (*)

XXI. Bibliotheca Indica, Referens CCCXIII. Codices Indicos Manuscriptos. Opus ineditum, quod aere, curaque Stephani Cardinalis Borgiae vulgari debuit. (*)

Libri Num. 2. — 5 — 6 — 7 — 8 — 9 — 10 — 12 — 13 — 14 — 15 — 16 — 17 — 18 — 19 20 — recensiti apud Auctorem reperiuntur: reliqui apud typographos.

Confer *Philologisch - Kritische Miscellanien Von Franz Carl Alter.* Wien 1799. pag. 253. et seqq.

(*) Omnes hi libri typis excusi sunt in 4. majori. Legi debent autographa, et non eorum versiones germanicae et gallicae, quae infinitis mendis scatent.

(*) Luxit, et justa solvit clarae memoriae Stephani Cardinalis Academia Volsca Veliterna die XXIII. Aug. MDCCCV. in curia Senatoria Veliterna, in qua Stephani, sui Protectoris, laudes egregie recitavit Aloysius *Cardinali*, academicus, et Senatui Veliterno a Secretis. Vid. *Relazione de' solenni honori funebri, resi dalla Chiesa e Città di Velletri alla Ch. M. dell' Emo Rmo Principe Stefano Borgia.*

Menda Typographica.

Parte I. pag. 8. lin. 30.	*Centineri*	lege *Contineri.*
pag. 15. lin. 20.	*planite*	*planitie.*
Parte II. pag. 7. lin. 10.	*exemplo*	lege *extemplò.*
pag. 12. lin. 4.	*nomini*	*nominis.*
pag. 14. lin. 30.	*Colonia*	*Polonia.*
pag. 64. lin. 31.	*versutus*	*versutos.*

97-B21408